This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

36.
558.



M. TULLIUS CICERO

ΦΙΛΟΠΑΤΩΝ.

DISQUISITIO

DE

PHILOSOPHIAE CICERONIANAE FONTE PRAECIPUO.

SCRIPSIT

J. A. C. VAN HEUSDE

PHIL. THEOR. MAG. LITT. HUM. DOCT.

TRAJECTI AD RHENUM,

Apud. ROB. NATAN.

MDCCCXXXVI.

558.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

PHIL. GUIL. VAN HEUSDE,

PATRI CARISSIMO

S. P. D.

J. A. C. VAN HEUSDE.

Egone sileam, mi Pater! compellandi tui copiâ factâ? sileam, quum tot exstiterint tibique tam cari discipuli, qui, quid tibi deberent, percursis Academiae spatiis, recordati fere amantissimeque professi sint? Non profecto patiar, ut sic me vel praeteriti temporis oblivio, vel incuria praesentis cepisse videatur. Faciendum mihi, cui te diutius familiariusque ac studiosius uti contigit, ne, plurimis doctrinâ cedens, discendi studio, progrediendi ardore, tui in primis amore ulli postponar. Quapropter

gravi sane de causa da mihi hanc veniam, quaeso, dilectissime Pater! ut illum beneficiorum tuorum cursum, hac festi temporis opportunitate, gratissimâ animi recordatione recolere liceat.

Nam quum, transactâ illâ puerili educatione, formatus a te imbutusque optimis sensibus essem, prudentiae tuae fuit, quod me in Byrdii, optimi viri, disciplinam tradebas. Qui ut aliquot abhinc annis excessit e vivis, desideriumque sui apud omnes, quibus carus erat, excitavit vehementissimum, ita nunc me in disciplinae suae memoriam revocat. Quae quidem, ut meministi, disciplina egregia erat, hoc autem habebat praecipuum, quod in discentium animis acre quoddam et constans discendi studium excitaret, nec lubentius fere ad coenam discipuli, quam ad discendi laborem veniremus. Itaque postquam satis longum tempus desideratissimi magistri curis fueram traditus, tuque ab illa proficiendi aviditate ac studio mentes quotannis nostras ad peregrinandi suavitatem relaxare institueras, quo alacriores ad repetenda studia rediremus, prudentissimo tuo consilio factum reputo, ut in Ekkeri domum atque consuetudinem introducerer.

Cujus ego viri, per triennium, ita universam institutionem percepi, ut cum privatâ atque domesticâ disciplinâ publicam in hujus urbis gymnasio conjungere liceret, interessem autem simul ceterorum deinceps virorum scholis, qui eo tempore eodem in gymnasio in suis singuli disciplinae generibus praestarent. Ekkeri autem institutio ea fuit, quae multis egregiisque dotibus commendaretur. Tanta enim animi moderatio, tanta mansuetudo morum, tanta consuetudinis facilitas, tantaque viri virtus erat, ut si ad intuendum illum audiendumque in ejus fuissem familia versatus, vix quidquam ad percipiendam virtutem requisivissem. Sed accedebat elegantia doctrinae ejusque cum discipulis communicandae praeclara ratio. Ex quo igitur apud eum habitabam, neque hospitii adolescentulus, sed domicilii familiaeque jure gaudebam, magna, fateor, me cepit ejus diligendi delectatio; quae ab ingenii profecta naturaeque commendatione, haud mediocriter invaluit, ubi in amicitiam viri, in docendi instituendique rationem atque suavitatem interius eram perductus. Ab ea fere prima Latinarum Graecarumque elementa literarum hausi;

ab eodem antiquitatis notitiam, flagrantemque elegantiorum artium amorem concepi: docendi autem gravitas sermonis lepore, sermonum hilaritas instituendi consilio atque utilitate temperabatur. Sic vero porro ejus doctrina se explicuit, tantaque ubertate et elegantia abundavit, ut, quod non majores mei fuerint in quovis doctrinae virtutisque genere progressus, mea unius sit omnis culpa, nulla tradentis. Quidquid vero in posterum proficiam, ejus ille sibi suo jure magnam partem vindicabit.

Postea autem quam ab eo discessi, satis, ut tibi videbar, iis artibus instructus, quibus nili Academica institutio debet, accedebam ad Professorum scholas. Cum quorum institutione ut aliqua mihi familiaritas intercederet, longo tempore fuit opus; contracta autem eorum audiendorum consuetudine, is in me redundavit fructus, ut addiscendi in dies majore studio tenerer, atque illorum alacritate docendi incredibilis quidam in me literarum amor exardesceret. Cui alendo moderandoque egregie diligenterque ac varia ratione consuluerunt VV. Cl. Goudoeverus et Schröderus. Auxerunt eundem exempla

amicorum et familiarium, societas in primis studiorum, quae mihi cum multis in eo intercessit sodalitio, quod amicitiae vi et bonarum litterarum ardore, per hos viginti quinque annos, stetit. Sed tamen haec omnia adjumenta doctrinae ita tu cumulasti, ut tua jam omni ex parte me disciplina exciperet, animus mihi tuus pateret, nunquam me voluntas tua atque singularis caritas fruetraretur. Quo ego amore tuo commotus, ardenter optare coepi, ut aliquid eo non prorsus indignum exhiberem. Ecce vero! mea tu subito consilia occupasti, et, quod vix optare eram ausus, nedum sperare, amantissimas ad me literas dedisti, quibus, ut mihi cunque placeret, possem uti; ego vero sic utar, ut mihi perenne futurae sint amoris tui monimentum.

Jam appropinquabat tempus, quo secularia nostrae Academiae festa iterum celebrarentur. Honorificentissime a Literarum ordine invitatus, ut hujus festi opportunitate summos in Philosophia Theoretica Literisque humanioribus honores more majorum *consequi studerem, nolui resistere, quamvis animus in alia omnia distraheretur. Tu vero mihi affuisti, despondentem animum*

erexisti, persuasisti, cum ita tibi placere intelligerem. Cepi consilium arduum sane ac praeceps, sed tamen non inconsideratum. Nam, qui mihi auctor fueras, ut auderem, eundem te mihi ducem atque adjutorem sperabam optimum futurum. Interim de Cicerone saepius identidem mentionem feceras: laudaveras virum cum propter ipsius praestantiam eximiasque dotes, tum ob singularem, quo prosequi Platonem solet, amorem. Ne multa! hunc ipsum amorem ejusque originem et opportunitates suadebas, ut mihi sumerem scribendi argumentum, in eoque sedulo diligenterque elaborarem. Non erat mirum, me Platonis causâ Platonem tractantem, in Cicerone vero nondum satis versatum, ut possem illius argumenti, quod mihi suppeditaveras, metiri fines, ab illo tractando alienum animum habere. Reputans enim, quid summi superioris recentiorisque aetatis viri in Ciceronis studio praestitissent, quantâ hujus studii laude Mureti, Victorii, Graevii, Ernestii aliique bene multi omnium ore vigerent, verebar, ne ad res, confectas ab aliis, faciendas accederem. Neque enim accidisse suspicabar, ut studiosissimi Ciceronis, qui ejus scripta tractantes, cavissent prae-

sertim, ne illam sibi tantam haereditatem sine sacris adeundam putarent, non plene explicuissent tam illustrem locum. Post, cognito errore meo, et a te vehementius excitatus, in aliam discessi sententiam, ut, cum prius argumenti inopiam questus mecum essem, nuno reformidarem prope infinitam materiem. Quare ad te conversus: » Vastum, inquiebam, pelagus, mi pater! cui me measque fortunas committis: quem tu mihi, oedo, portum et quibus superatis difficultatibus, ostendis? Videndum, ne totus absorbear, aut in ipso itinere deterritus, quo aufugiam cum paucis tabulis sospes, non habeam." Tum vero tuâ cohortatione sustentatus, quae paulo ante incerto meditatus consilio eram, ea confidentius aggrediebar: te enim prudentissimum gubernatorem suspiciebam, neque erat amplius, quod desperarem. Me igitur sic adjuvisti consiliis monitisque tuis, ut, re confecta, non possim non tibi acceptum referre, quidquid mediocriter elucubraverim. A te autem discedens maximam gratiam Cl. Goudoevero, *carissimo tibi viro, mihique benevolentissimo, habeo, qui in occupatissimo vitae spatio, distractoque innumeris curis, tar-*

tum sibi otii ad mea studia juvanda sumsit, quantum superesse tantis negotiis potuisse incredibile videatur. Neque vero aliunde frustra, quibus opus erat, librorum subsidia flagitavi. Pro sua enim haud sane vulgari humanitate, amicissimi tibi viri Bakius, Geelius et Bergmannus e Bibliotheca Lugduno-Batava ad me perveniendum curarunt, quidquid ad cognitionis fructum scriptionisque commendationem utile duxerunt: tum vero e privata sua librorum copia addidit Tydemannus V. Cl. si quid in Academiae Bibliotheca non exstaret. His igitur cunctis gratissimum animum testor pro sua erga me liberalitate: eosdem vero, ut in posterum tecum, et cum amicis omnibusque bonarum artium amantibus studiorum meorum fautores habeam, ardenter opto: de te quidem, qui mihi ut vitae auctor fuisti, ita vitae, quae sola vitalis sit, facem praefers, nullus dubito.

Scripsi Trajecti ad Rhenum
m. Maji MDCCCXXXVI.

DISQUISITIONIS CONSPECTUS.

PROOEMIUM.

Laudes, quibus Platonem celebravit Cicero. Unde haec tanta admiratio? Ciceronis indoles. Ferebatur eo naturâ, quo eum postea perduxit philosophia Platonis. Vitae opportunitates ad incredibilem concipiendum Platonis amorem. . . . . p. 1–9.

CAPUT I.

M. TULLII CICERONIS ADOLESCENTIA, LITERARUM ET PHILOSOPHIAE STUDIA, PRAECEPTORES, IN PRIMIS PHILO.

Ab ineunte aetate ad annum duodetricesimum.

Ciceronis parentes. Domestica educatio. Ingenium. Pater ex Arpino Romam migrat. Sodales Ciceronis. Crassus et Antonius. Plotii ludus. Humanitatis ac literarum conditio Romae hoc tempore. Crassus et Antonius Graecarum literarum fautores. Amicitiae cum Attico initia. Archias poeta. *Poeseos studia* Ciceronis. Homerica Latine vertit. Elegia *Alcyones*. Tragicorum studium. *Pontius Glaucus*. Quinti fratris in hoc genere aemulatio. Unde *studia* Ciceronis *Astronomica?* Ruris amor. *Aratea*. *Xenophontis Oeconomicus* versus. Latinae poeseos studium. Carmen epicum *Marius*. Terentii laudes. *Limon*. Elegia *Temelastis*. *Libellus jocularis*. Judicia posteritatis de Ciceronis poesi. Quibus videtur habenda? Mors Crassi. *Juris civilis studia*, ducibus Scaevolis. Militiae tirocinium. Reliqua προπαιδεία Roscius et Aesopus. *Studia philosophiae Epicureae*. Phaedrus et Patro. *Platonis* amor a Philone excitatus. Philosophandi ratio Philonis. *Protagorae* Platonis versio. *Studia philosophiae Stoicae*. Diodotus. *Studia rhetoricae*. Molo Rhodius. Causarum patrocinium. Aemulatio cum Hortensio. . . . . p. 9–98.

CAPUT II.

M. TULLII CICERONIS PHILOSOPHIAE STUDIA AC PRAECEPTORES, IN PRIMIS ANTIOCHUS ET POSIDONIUS.

Ab anno aetatis duodetricesimo usque ad tricesimum.

Iter in Graeciam.

Causa profectionis. Auctorum de ea dissensio. Fuit praesertim visendae Graeciae opportunitas. Graeciae, in primis Athenarum vicissitudines. Cicero Athenis Atticum convenit, aliosque habet studiorum socios. Initiatio in mysteriis. Philosophiae doctores Athenis. Antiochus *Academiae Veteris* vindex. Quid de eo tenendum? Demetrium Syrum rhetorem audit Cicero. Non negligit Epicureos. Videturne Lucretii absolvisse *de natura rerum* carmen? Consilium proficiscendi Athenis. Asiam peragrat. Rhetorum principes audit et itineris socios habet. Asiaticum dicendi genus. Rhodum venit. Rhodiorum eloquentia. Molonі et Posidonio, dicendi philosophandique magistris, se tradit. Panaetii laudes. Posidonii philosophandi ratio. Celebratissima ejus de philosophia sententia. Studium *Platonis*. Molonis de Cicerone judicium . . . . . p. 98–143.

CAPUT III.

M. TULLII CICERONIS SCRIPTA IN PRIMIS ORATORIA.

Ab anno aetatis tricesimo ad sextum et quadragesimum.

Varii fructus disciplinae hucusque perceptae ad alendum in Ciceronis animo Platonis amorem. *Libri de Inventione.* Eorum origo et ratio. Elucent in iis Philonis, Socratico-

rum, praesertim Platonis studia. *Oratio pro S. Roscio Amerino ac Verrinae.* Optimarum artium studia, in primis poeseos. Justitiae sensus tractando Platone corroborati. Praeclara animi virtus in suscipienda causa Verrina. Propugnat judiciorum sanctitatem. Philosophiâ adducitur ad verae eloquentiae studium. Reprehensio Hortensii. *Oratio pro lege Manilia.* Praetor Gniphoni rhetori operam dat. Pompeji laudes. Frontonis et Manutii judicia. Perfecti imperatoris imaginem adumbravit Cicero, Platonis imbutus philosophiâ. Comparatio Dionis cum Cicerone. *Catilinariae.* Perfectum scelestissimi civis exemplar. Orationis color a Platone ductus. Loca in Catilinariis cum Platonis Menexeno et Critone comparata. *Orationes pro Murena et pro Archia poeta.* Ingenium Ciceronis. Comparatio philosophiae Stoicae atque Academicae. Prima in orationibus mentio Platonis. Commendatio hujus philosophiae. Varia hominum judicia de oratione pro Archia. Temporum ratio habenda. Animadversiones de Ciceronis consilio. Studiorum humaniorum laudes. In ea praesertim oratione dominatur philosophia Platonis. . . . . p. 143–200.

CAPUT IV.

M. TULLII CICERONIS DIALOGI IN PRIMIS DE ELOQUENTIA ET DE REPUBLICA.

Ab anno aetatis sexto et quadragesimo ad sexagesimum secundum.

Libri de Oratore. — Eorum forma Platonica est. Phaedri Platonici et Politiae vestigia. Narratio mortis Crassi refert Phaedonem. Phaedri locus adumbratus in hoc opere, expressus in *Oratore.* — Librorum argumentum. Phaedrus Platonis plane spirat in iis: similiter in *Oratore.* Artium commune vinculum. Disciplina Posidoniana. Doctrina Platonis in Politia. Philosophia disciplinarum mater. Disciplinarum cognatio. Consilium Ciceronis in conscribendo hoc opere. Institutionum Quinctiliani fons. Philosophiae apud Platonem, eloquentiae apud Ciceronem principatus. Indoles Graecorum ac Romanorum diversa. Ut Plato philosophum, ita Cicero oratorem futurum instituit. Vastum Ciceronis ingenium unum in paucis aptum ad percipiendam Platonicae doctrinae praestantiam. *Brutus* et *Orator.* Perfectum oratoris exemplar. *Libri de Republica.*

Cicero aemulus Platonis. Operis praestantia ac fata. Aequalium laudes. Opus est historici, politici, philosophici argumenti. Disciplina Panaetiana et Socratica. Juventutis educatio et orbis doctrinae. Philosophiae ad rempublicam applicatio. Diversa Platonis ac Ciceronis consilia. Sermones de justitia Politiam referunt. Civitatum conversiones. Locus Politiae Latine expressus. Placiti de animorum immortalitate expositio Platonica. *Libri de Legibus.* — Eorum numerus, fata, ac dramatica ratio ex Phaedro delibata. Quidni vivo Cicerone editi videntur? — Eorundem librorum argumentum. Consilium auctoris. Lex naturae. Ejus recta intelligentia a Platone petenda. Loca Platonis e libris de legibus. . . . . p. 200–241.

CAPUT V.

M. TULLII CICERONIS SCRIPTA PHILOSOPHICA.

Ab anno aetatis sexagesimo secundo usque ad mortem.

Civitatis Romanae clades et eo tempore conditio. Afflictio Ciceronis. Ejus vita domestica. Obitus Tulliae. Doloris vehementia. Spernit amicorum consolationes Cicero. Occupationes. *Consolationis liber.* Scribendo animus reficitur. Ratio et fontes operis. Constans Platonis amor inde efficitur. Expressus a Cicerone Phaedonis locus. *Hortensius.* Ejus conscribendi consilia. Argumentum libri. Testimonia Augustini. Quid inde efficitur? Posidonii Προτρεπτικὰ. Fragmentorum ratio. Expressus locus e Politia Platonis. Ejusdem in Phaedone et Politia loca a Cicerone respiciuntur. Spes immortalitatis e Platone suscepta. — *Philosophandi ratio Ciceronis in ceteris scriptis.* Senectutis consilia. Proprium philosophandi propositum. Diversa philosophandi ratio. Quando scholas Cicero habere coepit? Num defecit ab antiquae Academiae studio? Propria Academicorum librorum ratio. Num scepticus esse coepit? Invalescens apud eum Platonis amor e prima Tusculana patet. Vigent in ceteris ejus dialogis Socraticae ac Platonicae philosophiae studia. Versio *Timaei Platonici.* Ejus ratio. Posidonii interpretatio Timaei. . . . . p. 241–277.

XV

CAPUT VI.

DE PRAECIPUO PHILOSOPHIAE CICERONIANAE FONTE.

Philosophia Platonis praecipuus Ciceronianae philosophiae fons. Quomodo inde hausit? Non e solo Platone profecit. Ab iis profecit potissimum, quibus maxime placuerat Plato. Non omnes Platonis dialogos pari diligentia tractavit. Fuit nec *imitator* Platonis vulgari sensu, nec *Platonicus*. Quam peculiarem vim habuit in eum philosophia Platonis? Philosophiae Platonicae ipso judice prae Stoica excellentia. Animadversiones de M. Bruti ingenio et studiis a Cicerone tanquam a parente ac magistro gubernatis. . . . . p. 277–285.

Si quis Romanorum alius, Cicero nobis dicendus Romanorum Plato videtur.

Initia Phil. Plat. Vol. II. P. I. p. 97.

PROOEMIUM.

Etsi omnis cultior aetas viros tulerit virtute principes ac doctrina, qui amplissimis laudibus celebrarent Platonem, amore tamen ejus et admiratione nemo facile Ciceronem superavit. Haec sententia, nec novitate prima, nec jam obsoleta vetustate, dudum ita tenuit affecitque hominum animos, ut confiterentur ingenue, disertius, honorificentius, puriore etiam cum animi sensu affectuque nullius unquam celebratam memoriam esse. Ac meritissimo quidem illi. Nam sive Platonem Cicero memorat simpliciter, *virum* appellat *doctissimum atque eundem gravissimum, philosophorum omnium principem* 1), *locupletissimum auctorem* 2), *principem ingenii et doctrinae* 3),

1) *De Legg.* II. 6. 2) *De Divin.* II. 58. 3) *Epist. ad Q. Fr.* l. I. Ep. I. 10.

principem, quo nemo in scribendo praestantior fuit 1), *intelligendi non solum sed etiam dicendi gravissimum auctorem et magistrum* 2), *eundem illum non linguae solum verum etiam animi ac virtutis magistrum* 3), *virum unum totius Graeciae facile doctissimum* 4), *sapientissimum Graeciae virum, longeque doctissimum,* 5) *longe omnium, quicunque scripserunt aut locuti sunt, gravitate principem* 6), *longe omnium in dicendo gravissimum et eloquentissimum, qui de rebus a civilibus controversiis remotissimis divinitus est locutus* 7), *cujus libri mirabiliter scripti sunt et divinitus* 8). *Quis uberior in dicendo Platone? Jovem sic, ajunt philosophi, si Graece loquatur, loqui* 9). *Aristoteles longe omnibus (Platonem semper excipio) praestans ingenio* 10). Sive auctorem eum sibi scribenti sumit, his fere utitur verbis: *praeclare Plato* 11); *divine Plato* 12); *est illa Platonis vera vox* 13); *assentior prorsus Platoni* 14); *audiamus Platonem quasi quendam Deum philosophorum* 15), *divinum auctorem* 16), *philosophorum Homerum, sanctissimum et sapien-*

---

1) *De Rep.* II. 11. 2) *Orat.* c. 3. 3) *De Orat.* III. c. 34. 4) *Orat. pro Rabirio* c. 9. 5) *De Legg.* II. 15. 6) *Orat.* c. 19. 7) *De Orat.* I. 11. 8) *De Orat.* III. 4. 9) *Brutus* c. 51. 10) *Tusc.* I. 22. *De Fin.* V. 3. 11) *De Fin.* V. 21. 12) *De Senect.* c. 13. 13) *De Orat.* III. 6. 14) *De Legg.* II. 18. 15) *De Nat. D.* II. 12. 16) *De Opt. Gen. Or.* c. 6.

tissimum 1); *Plato mihi erit unus instar omnium millium* 2); *sequar divinum illum virum, quem quadam admiratione commotus saepius fortasse laudo, quam necesse est* 3); *videamus Platonem — habemus igitur hujus quoque auctoritatem summi viri* 4); *jubet Plato, quem ego vehementer auctorem sequor* 5); *errare me hercule! cum Platone malo, quam cum istis vera sentire* 6); *ego quoque cum Platone haud invitus erraverim* 7). *Ex hoc igitur Platonis quasi quodam sancto augustoque fonte nostra omnis manabit oratio* 8). *Ut enim rationem Plato nullam afferret (vide quid homini tribuam) ipsa auctoritate me frangeret* 9). Seu tandem exprimere verbis affectum animi intimum cupit, amorisque sui et admirationis significare magnitudinem, amantissime vel ipse dicit: *noster Plato* 10); *Deus ille noster Plato* 11); *apud Platonem nostrum scripta divinitus* 12); vel dicentem alium facit: *Sic enim fecisse video Platonem illum tuum, quem tu admiraris, quem omnibus anteponis, quem maxime diligis* 13).

Acerrimum in his sane ac prorsus singulare elucet studium, quo coleré Platonem Cicero consue-

1) *Tusc.* I. 1. 2) *Brutus* c. 51. 3) *De Legg.* III. 1. 4) *Ibid.* II. 27. 5) *Ep. ad Fam.* I. 9. 6) *Tusc.* I. 39. 7) *Ibid.* 8) *Tusc.* V. 13. 9) *Tusc.* I. 21. 10) *Fragm.* lib. IV. *de Rep.* 11) *Ep. ad Att.* IV. 15. 12) *Ep. ad Fam.* I. 9. 13) *De Legg.* I. 5.

vit. Nec satis habuit frequentissimam illius maximeque honorificam mentionem facere, sed omni ratione ac modo amoris pietatisque officiis obsequi studuit. In Graeciam peregrinatus, sex menses Athenis fuit, lubentissimeque saepenumero, relicta urbe, in Academiae spatia excurrebat. *Veniebat hic mihi*, ait, *Platonis in mentem, quem accepimus primum hic disputare solitum, cujus etiam illi hortuli non memoriam solam afferebant, sed ipsum videbantur in conspectu meo ponere* 1). Reversus autem Romam id ab Attico suo impetravit, ut ipsi Platonis statuam, quam Romae domi suae haberet, Athenis mitteret 2). Quin etiam, quo, praeter scripta imaginemque viri, cetera quoque omnia quasi praesentem sibi eum proponerent, villas suas, Tusculanam ac Puteolanam, ad veteris Academiae Platonicae habitum formamque instruxit, adornavit signis, omninoque quam elegantissimas habere voluit 3).

In his igitur omnibus ut perspicuum illud est,

---

1) *De Fin.* V. 1. 2) *Brutus*, c. 6. Cf. P. Rami, *Ciceronianus*, p. 11. Corradi, *Quaestura Ciceronis*, p. 248. 3) *Epist. ad Att.* l. l. *Epp.* 1. 6. 7. 9. 10. 11. Wieland, *Cic. Briefe übersetzt.* t. I. p. 247 sqq. Plinius, *Hist. Nat.* l. XXXI. c. 3. Digna memoratu villa est ab Averno lacu Puteolos tendentibus imposita litori, celebrata portico et nemore, quam vocabat Cicero Academiam ab exemplo Athenarum, in qua et monumenta sibi instauraverat. — Cff. Conradus L. L. Middleton, *Life of Cic.* t. II. p. 391 sqq. Bähr, *Gesch. der Röm. Litt.* p. 364.

incredibili quodam amore Ciceronem complexum Platonem esse, ita operae pretium est quaerere, unde tantus amor originem, unde incrementa ceperit, et constans per totam vitam manserit. Cujus quidem rei causam ut probabiliter expediamus, indolem sane ipsam Ciceronis acerrimumque literarum et philosophiae ardorem praecipue nos attendere oportet. Etenim fuit, ut animadvertit Plutarchus [1]), ὥσπερ ὁ Πλάτων ἀξιοῖ τὴν φιλομαθῆ καὶ φιλόσοφον φύσιν, οἷος ἀσπάζεσθαι πᾶν μάθημα, καὶ μηδὲν λόγου μηδὲ παιδείας ἀτιμάζειν εἶδος. Haec eximia et generosa indoles, quae futurum philosophum decet, atque idonea sola esse potest, ut rite quis, quas a natura praeclaras acceperit animi dotes, acuat explicetque, Ciceroni puero affuit, adolescenti aucta est, senem non deseruit. Studio cognoscendi jam statim a teneris animus ejus movebatur: hoc explere, huic satisfacere liberalissima ratione desiderabat. Idem autem naturalis ille cognoscendi amor omnes difficultates omnemque discendi molestiam vi sua atque efficacitate facile superabat. Amplectebatur igitur avide ea omnia, quorum disciplina, vel tradita ab aliis, vel ex se ipso parta, exacuere animi vires, uberrimisque alimentis corroborare posset; diligenter assidueque in rerum gravissimarum indagatione morabatur, hauriebatque inde, quae cum ad animi cultum, tum

1) *Vita Cic.* c. 2. Cf. H. C F. Hülsemann, *de indole philos. Cic.* Lunaeb. 1779.

ad ornatum ingenii copiamque doctrinae pertinere censebat. Non mirum iocirco, hac praeditum natura juvenem, his exeultum artibus et disciplinis, quae optime fingere animi habitum solent, praeterea magistrorum prudentiâ gubernatum, ad philosophiae studia incredibili amore incensum pervenisse. Quae quum ipsi ex fontibus Platonis, non ex deductis inde rivulis gustanda daretur, perinde ei esse debuit, ac si accenderetur ingenii lumen, alteriusque vitae coepisset initia ordiri. Habitare ab hoc inde tempore in ea solebat, et admirari singularem plane philosophandi rationem, cujus omnis in emendando homine cura versatur. In ea autem philosophia perspicue omnia videbat exposita, quae aut non recte perceperat antea, sed divinaverat, aut omnino non perceperat, sed obvoluta tenebris et confusa intelligere desperarat. Omnino de vita et moribus, de legibus ac re politica, in primis de summa ingenuarum artium praestantia, de vitandis effugiendisque vitiis et prosequendis virtutibus placita distincte dilucideque elaborata inveniebat. Haec ille omnia mente considerans et comprehendere studens, quidni philosophiam illam optimam vivendi ducem, qui autem eam tradidisset mortalibus, multo sibi omnium carissimum cognatumque existimaret?

Verum, quo haec uberius pleniusque cognoscantur, quoque pateat magis, quibus quasi gradibus

eo Cicero pervenerit, ut non diligeret tantum, sed interius etiam cognosceret suoque pretio aestimaret Platonem; velut ab incunabulis res erit tota repetenda: nobisque viri pueritia et adolescentia, literarum ac philosophiae, quae a teneris coluit, studia respicienda erunt; tum vero etiam praeceptorum, quos in artibus philosophiaque excellentissimos habuit, Archiae, Philonis, Diodoti, Antiochi, Posidonii, accuratam exhibere rationem oportebit. Attendendae etiam aestimandaeque nobis nullae non vitae opportunitates erunt, quibus ad explicandam singularem naturae indolem feliciter usus est. Sic demum nobis non tantum cognoscere Ciceronem, tanquam φιλοπλάτωνα, sed etiam, quod in primis spectamus, ad plenam *scriptorum ejus intelligentiam interpretationemque* proficere licebit. Nam, quod ait Quinctilianus [1]), expressisse Ciceronem *vim Demosthenis*, *copiam Platonis*, *Isocratis jucunditatem*, ut universe verum est, ita illud verissimum, copiam virtutemque dicendi Ciceronem maxime e Platonis scriptis duxisse. A quorum assidua lectione ac pertractatione quum nunquam cessaret, sed diligentissime in ea semper incumberet, eo sponte pervenit, ut inscius saepenumero Platonem tum in scribendo, tum vero in cogitando philosophandoque imitaretur [2]), dictionem autem

1) *Ins. Orat.* l. X. c. 1. 2) Quinctil. l. l. *M. Tullius*, *ut ubique*, *etiam in scribendo de philosophia Platonis aemulus exstitit.*

Platonicam oratio ejus spiraret fere atque exprimeret. Quam ob causam, ut ad ista cuncta considerandaque explicandamque ipsam Ciceronis philosophiam nobis via muniatur, jam protinus a pueritia viri atque adolescentia ordiamur.

CAPUT I.

M. TULLII CICERONIS ADOLESCENTIA, LITERARUM ET PHILOSOPHIAE STUDIA, PRAECEPTORES, IN PRIMIS PHILO.

Ciceroni, ut naturae beneficio egregiae inerant ingenii animique dotes, ita patris studio illarum excolendarum via optima patuit. In agro Arpinati ex antiquissima stirpe, plebeja familia, equestri loco natus, nullam quidem a patre puer famam nominis ac celebritatem, non imagines et tropaea majorum, nullum denique pristinae dignitatis ac gloriae monumentum accepit: his fortunae ornamentis carere indoles bona poterat, cui majus insigniusque contigit a natura tributum opus, ut propria virtute commendaret avitam domum et existimationem. Pater, cui ipsi propter corporis infirmitatem petere in republica honores non licebat, re satis lautâ rure versabatur, jucundeque aetatem inter rustica opera et literarum studia, quibus valde delectabatur, penitusque imbutus erat, transigebat. Mater Helvia, haud ignobili loco nata mulier, in curanda re domestica et erudiendis filiis, Marco et Quinto, summum studium ponebat, neque educandi curam et assiduitatem unquam vel intermitti a se vel ullo

modo negligi patiebatur 1). Huic autem acerrimae contentioni parentum non deerat uterque filius, sed aemulabantur inter se, ut pietate sua tanto amori responderent, ut venerarentur illos, debiteque observarent. Quod ipsis longe accidebat gratissimum. In primis igitur M. Tullius hac sibi nata prole gloriabatur, quae non modo optimos naturae sensus explicaret, sed quae id efficere aliquando ac praestare reipublicae posset, quod sibi valde concupiscenti natura negavisset. Hac spe erigens et recreans animum, nihil dies noctesque tam ardenter optabat, quam ut se vivo vigerent in civitate filii, et praeclara ejus communi consensu essent ornamenta; nihil vero consultius meditabatur, quam viam et rationem, qua optime eorum ingenia excoleret ac saluberrimis praeceptis muniret animos. Quae quidem consilia ut alacriter exsequeretur, spes eum sua

1) Plut. *Vita Cic.* c. 1. Cff. Intpp. — Cic. *de Legg.* II. c. 1. — Aurelius Victor, *de Viris Illust.* c. 81. — L. B. Aretini *Cicero novus.* — J. Angelo de Scarparia, *Histor. Narratio de vita rebusque gestis Cic.* ed. Wolffgango Peristero Borusso, Berlini 1581. (Hoc opusculum verbotenus refert Aretini *Ciceronem novum*). — S. Corradi, *Quaestura Cic.* p. 15 sqq. — Franc. Fabricius Marcoduranus, *Vita Cic. per annos digesta.* — Facciolati, *Vita Cic. literaria.* — Fabricius, *Bibl. Lat.* I. c. 8. p. 89 sqq. — Funccius. *de Vir. Aet. ling. Lat.* P. II. p. 39 sqq. — Harles, *Notitia Litt. Rom.* C. III. § 2. — J. M. Gesner, *Leben Ciceronis.* (*Chrestom. Cicer.* Jena 1734) — Middleton, *Life of Cic.* I. p. 31 sqq. — Wieland, *Cicero's Briefe.* t. I. p. 3 sqq. — Ersch u. Gruber, *Encyclop. der Wiss. u. Kunst.* t. XVII. p. 188. — Bähr, *Gesch. der Röm. Litt.* p. 357 sqq. — Treuling, *Vita Cic. literata*, inserta Annal. Acad. Traj 1832-33.

atque exspectatio excitabat; stimulos vero majores illustre C. Marii, municipis sui, contendentis ad principatum, exemplum admovit. Nulli iccirco parens pepercit curae aut labori, ut tam optatam vitae suae felicitatem, tamque honestum industriae praemium aliquando consequeretur 1).

In Marco autem, majore natu filio, statim elucebant a pueris virtutum initia praestantissimarum; ingenium acre, sollers, et docile; impiger atque alacer animus, promtus et paratus semper ad discendum, et ad rerum sibi traditarum intelligentiam naturali acumine sine ulla fere cunctatione aut impedimento perveniens. Praeterea pietas summa, ingenuus pudor et candor animi ingenii decus decebant, vitaeque consuetudinem commendabat singularis morum mansuetudo et spectata fides. Quî enim non amabilem fuisse putemus, quem, ipsis longe antecellentem, adeo non invidiâ aequales et condiscipuli petebant,

Ut mediis juvenum, non indignantibus ipsis,
Iret, et interior, si comes unus erat?

quî vero non impigrum et acutum, quem ut demirarentur, frequentes scholam adirent commilitonum parentes? 2).

Itaque postquam ex domestica educatione, quam

1) Omittam referre fabulas de nutricis vaticinio, aliasque similes, quas ex sui aevi superstitione accurate ubivis narrare Plutarchus solet. Quo etiam pertinere videtur, quod idem auctor deinde c. 5. de Pythia a Cicerone consulta tradit. Cf. Middleton I. p. 70. 71. 2) Plut. c. 2. Ovid. *Fast.* V. vs. 65.

praestantem fuisse vidimus, haud inanes fructus perceperat, quum instaret aetas, quae est summi in vita hominis momenti, ut utiliter et honeste transigatur, M. Tullius Romam cum filiis commigravit. Sic enim statuebat, melius informari juvenum ingenia, faciliusque animi facultates explicari in maxima discentium corona posse, quam si arctis municipii limitibus ac deterioris disciplinae angustiis circumscriberentur; quod et alienum ab instituto suo, et vero liberali homine prorsus indignum existimabat. Ergo in sedem imperii amplissimam delatus, sive propriam domum habitaret, seu diverteret apud C. Aculeonem propinquum, acutissimi ingenii hominem, filios suos una cum consobrinis, Aculeonis filiis, prout cujusque natura et indoles ferrent, erudiri cupiebat. Qua tamen in re ne festinantius ageret, nec committeret ut praematuro consilio officeret ipsorum ingeniis, adire statuit clarissimos in republica viros, L. Crassum in primis et M. Antonium, quorum ut antea saepe expertus benevolentiam erat, ita nunc potissimum iisdem auctoribus et consultoribus uti voluit, ut in lubrica instituendae pueritiae ratione sibi facem praeferrent, et postea ad moderanda provehendaque studia filios gravissimis consiliis adjuvarent. Nam quamvis ipse e litterarum studiis plurimum profecerat, et hac praesertim laude tales sibi viros devinxerat, tamen remotus a civili vita, atque in umbra fere municipii latitans, arduam rem plenamque curis lubentissimus

eorum prudentiae ac fidei committebat, quos auctoritate et gratia plurimum sciebat in civitate pollere [1]). Neque vero mirandum, ubi hi, probato patris consilio, ad se deductum Marcum vidissent, ubi, conspecto auscultatoque eo, insitam animo virtutem, philosophamque indolem, et miram alacritatem, quae illius fere excedebat aetatis modum, explorassent, si in summam ultro spem adducti, peculiari cum amore complexi sint, dignumque curis suis habentes, optimis consiliis regere et excitare studuerint. Contra vero fautores hosce suos suspiciebat et adamabat ille, cumque plurimâ florentes auctoritate videret, obedire iis moremque gerere coepit. Sed quoniam vehementi studio in omni re, vel agenda vel concupiscenda, ferebatur, ac juvenili more, si quid ab aequalibus, quod novum esset, appeteretur, idem ipse exsultans adipisci studebat, nonnihil subinde ex Crassi Antoniique improbatione molestiae cepit. Itaque aliquantum post, sparso per civitatem rumore, Gallum quendam hominem doctum, L. Plotium, Latine docendi munus auspicatum esse, ludumque Romae publicum aperuisse, confluxit ad hunc audiendum omnis Romana juventus, summoque ardore alia alii de caussa, vel discendi vel obstupescendi gratiâ eo pelliciebantur. Quae res quum acre in Marco studium excitasset, et averet particeps fieri novae disciplinae, a Crasso et

1) Cic. *de Orat.* II. 1. *Epist. ad Famil.* l. XV. 4. Middleton, I. p. 36. Wieland, p. 5. Abeken, *Cicero in seinen Briefen.* Hannover 1835.

Antonio, talia ne concupiscaret monitus, graviter tulit. Illis autem cum prudentissimis quibusque viris hoc erat persuasissimum, omnem veram humanitatem a Graecarum artium studiis debere proficisci, omnemque indolem generosiorem Graecâ unice disciplinâ, a Graecisque doctoribus erudiendam perpoliendamque esse [1]).

Quanta haec fuerit sentiendi cogitandique commutatio, quae eo tempore Romae invalescebat, sic demum, ubi rite superioris aetatis rationem tenuerimus, apparebit. Romanus populus, ab omni aevo multis finitimis et longinquis bellis assuetus, ac diuturno victoriarum cursu elatus, contraxerat quandam ex his studiis ferocitatem et superbiam. Quo fiebat, ut non solum despiceret gentes, quae placi-

1) Fragm. Epist. Cic. ad Titinium apud Sueton. de Cl. Rhet. c. 2. *Equidem memoria teneo, pueris nobis primum Latine docere coepisse Lucium Plotium quendam: ad quem quum fieret concursus, quod studiosissimus quisque apud eum exerceretur, dolebam mihi idem non licere. Continebar autem doctissimorum hominum auctoritate, qui existimabant Graecis exercitationibus ali melius ingenia posse.* — Hunc Plotium M. Coelius Orator *hordearium rhetorem* appellabat, deridebatque ut *inflatum*, ac *levem* et *sordidum*. Suet. l. l. — Contra Quinct. *Instit. Orat.* l. II. c. 4. dicit: » Latinos dicendi praeceptores extremis L. Crassi temporibus coepisse, Cicero auctor est: quorum *insignis* maxime Plotius fuit.'' Cf. *de Orat.* III. 24. — Scripsit de Gestu. Quinct. op. laud. l. XI. 3. Seneca Rhetor. *Controv.* l. II. Prooem. — Tiraboschi, *Storia della Letter. Ital.* P. III. l. III. 6 sqq. Funccius, *de Adolesc. ling. Lat.* c. 4. p. 173 sqq. Ersch. l. l. p. 207. Ellendt in *Prolegg. ad Cic. Brutum*, p. 15. 86. Fuhrmann, *Handb. der Class. Litt.* t. II. p. 44. R. Stürenburg. *Praef. ad Cic. Orat. pro Archia*, p. 22.

dius vitae studiorumque genus sequerentur, sed veram humanitatem quoque non magnopere curaret, institutaque sua integra ab omni aliena imitatione servans, majestatem suam maximopere censeret imminui, si a devictis gentibus mores et disciplinam acciperet. Sed ista sententia tamdiu obtinere poterat, quamdiu imbecillior natura patiebatur. Postquam vero nobiliores quidam sensus in animis vigere coeperunt, ac principes in civitate viri, parum contenti domestica disciplina, excitare et promovere liberaliorum artium studium conabantur, haud deerant alii, qui patefactâ viâ incederent, ac re vera, quod illi summâ ope sibi proposuerant, efficerent. Adjuvit praesertim hos erigentis sese et vires suas explicantis populi conatûs devicta Graecia, quae, propositis maximis ad docendam Romanam juventutem praemiis et honoribus, permisit suis civibus, ut Romam abirent, atque ita facile

ferum victorem cepit, et artes
Intulit agresti Latio 1).

Neque tamen putet aliquis, inopinatam fuisse hanc et subitam conversionem. Ut solent magnarum rerum, praesertim in populis et civitatibus instituendis, parva initia esse, haec autem sensim paulatimque crescere et augeri, ita populo Romano plurima obstabant, quominus ad veram humanitatem celeres atque continuos faceret progressus. Impediebant generosiores sensus, ne radices agerent, tumor gentis et vanitas, quae donec vigebant, nec me-

1) Horat. *Epistt.* l. II. Ep. I. vs. 156.

lioribus studiis locum cedebant, vix audiebatur, qui illa meliora se sponderet traditurum. Quare perverse de hujus temporis conditione solet existimari, acsi, quae publice agerentur coram populo et in judiciis, ea essent ita composita, ut copiosam liceret Graecorum tradere doctrinam. Haec etiamnunc arctis finibus continebatur, utque a cultissimo quoque maximi fiebat, ita infesta magis quam accepta imperitae multitudini erat. Consiliis igitur et auctoritate prudentium virorum crescebant illa studia [1]),

1) Ad studia illa provehenda opus item erat, ut impedimenta cujusvis generis tollerentur e civitate. Hinc factum, ut Crassus istos, qui se ferrent Rhetores latinos, odio persequens, sic dicat l. III. *de Orat.* c. 24. *Etiam Latini, si Diis placet, hoc biennio magistri dicendi exstiterunt; quos ego censor edicto meo sustuleram: non quo (ut nescio quos dicere ajebant) acui ingenia adolescentium nollem, sed contra ingenia obtundi nolui, corroborari impudentiam. Hos novos magistros nihil intelligebam posse docere, nisi ut auderent; quod etiam cum bonis rebus conjunctum, per se ipsum est magnopere fugiendum. Hoc quum unum traderetur, et quum impudentiae ludus esset, putavi esse censoris, ne longius id serperet, providere.* Cf. Tac. *Dial. de Oratt.* c. 35. Gell. *N. A.* XV. 11. — Edictum illud Crassi censorium his verbis Suetonius de Cl. Rhet. c. 1. refert: *Renunciatum est nobis, esse homines, qui novum genus disciplinae instituerunt: ad quos juventus in ludos conveniat: eos sibi nomen imposuisse Latinos Rhetoras: ibi homines adolescentulos totos dies desidere. Majores nostri, quae liberos suos discere, et quos in ludos itare vellent, instituerunt. Haec nova, quae praeter consuetudinem ac morem majorum fiunt, neque placent, neque recta videntur. Quapropter et iis qui eos ludos habent, et iis qui eo venire consuerunt, videtur faciendum, ut ostendamus nostram sententiam, nobis non placere.* Parum profuit illa ratio, nam mox Plotius Romam contendit, quem alii secuti sunt. Cf. Ellendt. l. l.

et ab his prius excoli debebant, quam ad universam civitatem pertingere ac propagari possent. Sed maxime iis, qui rempublicam gerebant, et populari gratiâ florebant, opinio illa obstabat: quibus omnis Graeca eruditio, ne plebem offenderent, ac deserere caussas cogerentur, caute dissimulanda erat. Audiamus Ciceronem, pueritiae suae tempora recolentem, quum de Crasso et Antonio, principibus in civitate viris, in libris *de Oratore*, qui optime rationem illius aetatis indicant, haec refert: magnam se puero opinionem fuisse, L. Crassum non plus attigisse doctrinae, quam quantum prima illa puerili institutione potuisset; M. autem Antonium omnino omnis eruditionis expertem atque ignarum fuisse. Se vero saepe intellexisse (quum esset ejusmodi, quod vel puer sentire posset), illum et Graece sic loqui, nullam ut nosse aliam linguam videretur, et doctoribus ea ponere in percontando, eaque ipsum omni in sermone tractare, ut nihil esse ei novum, nihil inauditum videretur. De Antonio vero, quamquam saepe ex humanissimo homine, patruo suo, accepisset, quemadmodum ille vel Athenis vel Rhodi se doctissimorum hominum sermonibus dedisset; tamen ipsum adolescentulum, quantum ille ineuntis aetatis suae pateretur pudor, multa ex eo saepe quaesivisse, illumque ex multis, variisque sermonibus nullius rei, quae quidem esset in his artibus, de quibus aliquid existimare ipse posset, rudem aut ignarum esse visum. Sed fuisse hoc in utroque,

eorum, ut Crassus non tam existimari vellet non didicisse, quam illa despicere, et suorum hominum in omni genere prudentiam Graecis anteferre; Antonius autem probabiliorem populo orationem fore censeret suam, si omnino didicisse nunquam putaretur, atque ita interque gravierem se fore, si alter contemnere, alter ne nosse quidem Graecos videretur 1).

Haec ita breviter de temporum ratione attingenda videbantur, ut perspiceretur, puero Ciceronе illam coepisse praeparari aetatem, quae aliquando ipsius ingenio et industriâ maturitatem suam esset habitura. Una vero id effecimus, ut fortunatum jam nunc Ciceronem praedicare possimus, cui ista maxime aetate nasci et adolescere contigit, qua a Crasso similibusque viris ingenti studio ac laude Graecorum cultus exciperetur, et ad ipsius conformandum ingenium adhiberi totus et accommodari posset.

Contraxerat autem is hac tenera aetate cum aliis bene multis amicitiam, tum vero cum Attico illam, quae constans per omnem vitam ac perpetua mansit, et tam intima fuisse perhibetur, ut ne frater quidem ei Quintus carior fuerit aut familiarior. Qui cum studio suo incitaret eum et ad laboris assiduitatem impelleret, contenderetque pariter cum utroque Q. Hortensius, gravissimus Ciceroni aemulus futurus 2), ecce! generosis adolescentibus Romanis

1) *De Orat.* II. c. 1. 2) Corn. Nepos, *Vitâ Attici.* c. 1. 16.

nobilissima palaestra, in qua certarent, peroptata aperitur.

Nam quum jam in dies major eorum numerus fieret, qui, e Graecia profecti Romam, honores et docendi praemia peterent, aliique essent aliis vel obscuriores vel clariores, primus, qui splendidum apud Romanos nomen meruit, fuit A. Licinius Archias, patriâ Antiochenus. In hac urbe Syriae, celebri quondam et copiosa, et eruditissimis hominibus liberalissimisque studiis affluenti, loco nobili natus, celeriter antecellere omnibus ingenii gloriâ coepit. Post vero doctrinae copiâ jam satis illustris, quum plura discere et audire averet, iter fecit in peregrinas regiones, lustravit Asiae, cunctaeque Graeciae partes, et adolescens etiamtum Romam contendit. Quo quum ante ipsius adventum ingenii et eruditionis fama esset perlata, ubi adventabat, omnes, qui aliquid de ingeniis poterant judicare, cognitione eum sua atque hospitio dignum existimarunt. Erat jucundus Q. Metello Numidico, et ejus filio Pio; vivebat cum Q. Catulo et patre et filio; Lucullos vero et Drusum et Octavios et Catonem et totam Hortensiorum domum devinctam consuetudine tenebat. Itaque in luce ac frequentia summorum virorum collocatus, perpetuo Lucullorum hospitio utebatur, et sic non solum ingenii praestantia, sed etiam virtute morumque se commendabat probitate, ut domus, quae ejus adolescentiae prima favisset, eadem esset familiarissima senec-

tati [1]); nec tantum Luculli, quamdiu Romae essent, ejus delectarentur consuetudine, verum etiam itinerum socium laborumque participem haberent, et auctoritate sua efficerent, ut in eum Romanae civitatis honos conferretur.

Possint haec insignia beneficia, quae Romae Archias cum ab aliis plurimis, tum a principe familia accepit, indicio summi ejus ingenii et morum suavitatis esse. Et sane, quo fuerunt illa illustriora, hoc certius nobis sperare liceret, plura de ipso, ingeniique ejus monumentis esse ad nostram notitiam propagata. Qua spe mirifice fallimur, ubi nullum amplius testimonium, nullam disertam de eo

---

1) Locum in Oratione pro Archia c. 3 sic se habentem: *Sed etiam hoc non solum ingenii ac literarum, verum etiam naturae atque virtutis, ut domus, quae hujus adolescentiae prima fuerit, eadem esset familiarissima senectuti*, emendare variis modis Interpretes studuerunt. Sed fugit eorum emendandi curam nude positum: *Sed etiam hoc non solum* —, cui quod mente addas non habes. Nam parum, quae vulgo intelliguntur, *proprium*, *officium*, *opus* conveniunt. In veram igitur lectionem inquirenti suppeditavit mihi suam conjecturam pater optimus, qua sanari locum nullus dubito. Expuncto *etiam*, quod Codd. omittunt, mutato *hoc* in *haec*, et additis post *virtutis*, *vis fuit*, haec prodit universae sententiae lectio: *Sed haec non solum ingenii ac literarum, verum etiam naturae atque virtutis vis fuit, ut* —. Quam facile vocula *vis* a majori voce *virtutis* absorberi, et, omissâ illâ, *haec* in *hoc*, cum ἀδιάστατον esset, mutari potuerit, quivis videt. Additum *fuit* praestant nonnulli codices, in quibus ponitur post *virtutis*. Simili prorsus modo Cic. in *Acadd.* l. II. c. 1.: *diutius tanta vis virtutis atque ingenii peregrinata abfuit ab oculis et fori, et curiae.* Cf. pro Marena. c. 31.

mentionem, nec a Plutarcho quidem in Ciceronis vita describenda, quum accuratissime soleat is de juventute et institutione exponere, factam videmus. Ferremus tamen istud lenius, dummodo silentii istius injuriam vindicassent tempora, ac pretiosa carmina conservavissent. Nam poeta omnino non malus, quin omni laude praestans fuisse videtur, quod, laudes ejus celebrans, Cicero declarat, quum *summum poetam et eruditissimum hominem, summa ingenii praeditum gloria* vocet, idemque fateatur, *saepissime eum, cum literam scripsisset nullam, magnum numerum optimorum versuum de iis rebus, quae suâ memoriâ acta essent, dixisse ex tempore, revocatum autem eandem rem dixisse commutatis verbis atque sententiis: quae vero accurate cogitateque scripsisset, ea sic probari se vidisse, ut ad veterum scriptorum laudem pervenirent* [1]). Quo magis unicuique cavendum, ne tanti ingenii excellentiam metiatur paucorum epigrammatum mediocritate, quae, si vel maxime ipsum habeant auctorem, haud iccirco tamen, utpote tumultuarii poetici acuminis lusûs, aequum rectumque de ceteris poetae facultatibus judicium constituunt [2]). Excelluit enim in epico

---

1) *Pro Archia*, c. 2. 5. 8. 2) Iniquior nonnullorum sententia de Archia poeta inde fluxit, quod jejuna quaedam epigrammata nomine ejus ferri videntes, de ceteris operibus nolebant magnificentius sentire. Quare *simulatorem* Ciceronem, pro Archia dicentem, habuerant

poeseos genere, quo juvenis adhuc populi Romani gloriam laudemque celebravit, argumenta ex aequali temporis sui memoria petens. Versibus quidem Graecis res Cimbricas attigit, et ipse ille C. Marius, qui durior ad poeseos ceteraque humanitatis studia videbatur, ad earum recitationem lectionemque jucunde commotus est. Expressit etiam versibus haruspicum responsum de Q. Roscio Comoedo 1). Aliquando res Metelli Numidici meditatus est 2), sed conscripserit, necne, incertum. Majori vero curâ et industriâ in Mithridatico bello, magno atque difficili, et in multa varietate terra marique gesto, versatus est, cujus opportunitate et Romanorum singularem prudentiam laudavit, et vero L. Lucullo, clarissimo Imperatori, quo sibi eum in perpetuum devinciret, et gratum simul animum testaretur, praeclara merita gratulatus est 3).

Cf. Ilgen, *Anim. hist. et crit. in Cic. Orat. p. Arch.* p. 42 sqq. Contra Quinct. op. c. l. X. c. 7. *Hanc felicitatem extemporalem non in prosa modo multi sunt consecuti, sed etiam in carmine, ut Antipater Sidonius, et Licinius Archias: credendum enim Ciceroni est.* 1) *De Div.* I. 36. 2) *Ep. ad Attic.* I. 16. 3) Extrema hujus belli tempora invidiamque, quam suscepit Lucullus, verisimiliter Archias non memoravit. Quod indicare videtur Cic. pro Lege Man. c. 9. *Sinite hoc loco, Quirites, (sicut poetae solent, qui res Romanas scribunt) praeterire me nostram calamitatem.* Cf. Orat. pro Arch. c. 9. — De Archia ejusque poesi vidd. Gyraldus, *de Poet. hist. Dial.* IV. p. 201. — Jacobs, *Anthol. Gr.* — C. D. Ilgen, *Opusc. philol.* t. II. c. 7. — Hülsemann, *Cic. Orat. pro Arch.* — Ersch u. Gruber, *Encyclop.* t. V. p. 137. t. XVII. p. 188. 212. —

Quum igitur multorum amicitiis Archias expeteretur, videtur ipsi, rogantibus iisdem, a L. Lucullo data venia fuisse, ut erudiendis eorum filiis domi suae operam navaret. Quod ubi resciit Crassus, consiliumque magnopere laudavit, quod poeta non solum publice in foro recitandis carminibus suae vellet famae servire, sed docendo etiam excitare juvenum ingenia, facile impetravit a Lucullo, ut hi cum Marco cum sodalibus tanti magistri, qui et ab ipso, et ab omnibus, qui aliquid percipere atque audire studerent, coleretur, institutione frui. Vehementer istud Marco placuit, cui ad poeseos studium naturâ propenso, excolendae ejus facultatis eo duce copia fiebat, cujus praeconio res suas gestas versibus mandari, Marius et Lucullus gavisuri essent. Ubi igitur in hujus disciplinam venit, continuo tantam habuit diligendi eum et magni faciendi necessitatem, ut postea recordans praeteriti temporis spatium, confessus sit, principem sibi et ad suscipiendam et ad ingrediendam rationem studiorum Archiam exstitisse 1).

Plura profecto me monent, ne hoc loco Ciceronis poetica studia vel omnino praetermittam, vel leviter dimittam adumbrata. Primum enim dicit ipse de sese, etsi nullum aetatis suae tempus abhorruerit ab

Middleton, t. I. p. 38. 222. — Schlosser, *Universalhist. Uebersicht der Ges. der alten Welt.* t. II. P. II. p. 544. — H. F. Clinton, *Fasti Hellenici.* t. II. p. 542. — Wieland. op. c. t. I. p. 306. 307. 1) *Orat. pro Arch.* c. 1.

optimarum artium studiis et disciplina, atque in exercitatione dicendi non mediocriter sit versatus, tamen huic uni studio penitus se nunquam deditum fuisse, sed poesin simul cum aliarum rerum exercitationibus conjunctam coluisse. Quocirca, si rationem studiorum ab ineunte ejus adolescentia usque ad extremum aetatis tempus persequi et cognoscere velimus, hujus sane primi perpetuique stadii, in quo vires ingenii exercuit, non oportet nos negligentes esse. Huc vero accedit haud exiguum momentum, quod, eodem judice, in eloquentiam suam ejus artis studium et pertractatio habuit; adeo quidem non contemnendum illud, ut diserte fateretur, si vox sua, Archiae hortatu praeceptisque conformata, nonnullis aliquando saluti fuisset, se id illi acceptum referre, quod ceteris opitulari et alios servare potuisset [1]). Quam ob causam, quum ipsius poesis magnis contentionibus multoque sententiarum discrimine jactata sit, navemus operam ut vel rerum obscuritati lucis aliquid affundatur, vel nonnulla saltem loca accuratius exponantur et quodammodo illustrando adjuventur.

Prouti Archias in celebrando potissimum nomine Romano versabatur, ita otium suum contulit ad Ciceronis ingenium et rite formandum et salutari disciplina imbuendum. Eruditus ipse veterum scrip-

1) Eod. l. et c. 6. Vid. Geszn. *Chrest. Cic.* p. 248. Quinct. l. X. c. 5. *Ne carmine quidem ludere contrarium fuerit. Ideoque mihi videtur Tullius tantum intulisse eloquentiae lumen, quod in hos quoque studiorum secessus excurrit.*

torum lectione, hujusque diligentiae utilitatem in dies magis percipiens, eandem viam alumno suo tanquam optimam commendavit. Hic, quo erat discendi ardore, lubentissime ad cognoscendam antiquitatem accessit, et Homerum, omnis sanioris aevi delicias, rerumque optimarum fontem et auctorem, praecipuo studio tractavit. Quem non satis habuit cum magistro perlegere, in eoque venustatem summam et simplicitatem admirari, sed elatiori animi sensu eum colens ac venerans, penitus se in illorum temporum memoriam rationemque insinuavit, nec solum poetae ditissimam venam rerumque ubertatem complecti animo, verum etiam expressam in ejus carminibus, suaque simplicitate decoram, naturae imaginem assequi maxime et aestimare studuit. Quin tantam hausit ex hac iterata lectione voluptatem, ut principis poetae,

a quo ceu fonte perenni
Vatum Pieriis ora rigantur aquis,

Latine vertendi consilium videatur suscepisse. Utrum perfecerit, non liquet. Servavit autem versionis suae loca quaedam, quorum speciminis causâ unum alterumque memoremus. In l. II. de Div. c. 30. locum refert, ex Iliadis l. II. vs. 299 — ab ipso otioso conversum:

Ferte viri, et duros animo tolerate labores,
Auguris ut nostri Calchantis fata queamus
Scire, ratosne habeant, an vanos pectoris orsus.
Namque omnes memori portentum mente retentant,

Qui non funestis liquerunt lumina fatis
Argolicis primum ut vestita est classibus Aulis,
Quae Priamo cladem et Trojae pestemque ferebant:
Nos, circum latices gelidos, fumantibus aris,
Aurigeris divum placantes numina tauris,
Sub platano umbrifera, fons unde emanat aquai,
Vidimus immani specie tortuque draconem
Terribilem, Jovis ut pulsu penetrabat ab ara. —

Vertit item locum ex Odysseae l. XII. vs. 184 —, ut ipse tradit de Fin. V. 18.

O decus Argolicum, quin puppim flectis, Ulixe,
Auribus ut nostros possis agnoscere cantus!
Nam nemo haec unquam est transvectus caerula cursu,
Quin prius adstiterit vocum dulcedine captus;
Post variis avido satiatus pectore Musis,
Doctior ad patrias lapsus pervenerit oras.
Nos grave certamen belli clademque tenemus,
Graecia quam Trojae divino numine vexit;
Omniaque e latis rerum vestigia terris. 1)

Eandem quoque operam navavit lectioni Hesiodi; cujus poesi, naturam spirante et vitae rusticae amoenitatem, valde delectatus videtur. Hujus carmina poetae num attigerit vertendo, etsi vix dubium esse possit, certis argumentis non licet probari. Sed suspicari omnino possumus, deperditam quandam

1) Alia Homeri loca expressa vide apud H. Stephanum, *Lex. Ciceron. Gr-Lat.* p. 64 sqq. Werusdorf, *Homeristae Lat.* in Ed. Poett. Lat. Min. t. IV. P. II. p. 573 sqq. Bähr, op. c. p. 121.

fabulam Hesiodeam imitatione ab eo adolescente esse expressam. Citat enim Nonius Marcellus, [1]) voce *Praevius*, duos Ciceronis versus:

Alcyon hunc genuit claris delapsus ab astris,
Praevius Aurorae solis noctisque satelles.

Quorum priorem sic recentiores de conjecturâ legerunt:

Alcyonem genuit claris delapsus ab astris —

Nobbius [2]) vero cum Oliveto putat, *Alcyon* carminis titulum esse, et prioris versus principium deesse suspicatur, sermonem autem esse de Ceyce, conjuge Alcyones. Quod ut recte viderint illi, tamen haec mihi universe animadvertenda videntur. Citat Athenaeus [3]) Hesiodi fabulam, Κήϋκος γάμος inscriptam, de qua, quantum novi, praeterea nihil constat. Fabulam autem ipsam, quae nuptias et infortunia Ceycis regis et Alcyones continebat, servarunt posteri poetae, in primis Ovidius [4]). Cicero vero in morem elegiae idem argumentum videtur tractasse, et ab ipsa conjugum μεταμόρφωσει inscripsisse carmen *Alcyones*; in hoc enim avium genus dicuntur mutati. Qui supersunt versus Ciceronis probabiliter ita supplemus:

---

1) p. 65. 2) Cic. fragm. apud Orell. t. IV. P. II. p. 566. Cff. A. Patricius, *Fragm. Cic. cum adnot.* p. 71 et 177. Fabr. *Bib. Lat.* I. p. 136. 3) *Deipnos.* l. II. c. 32. 4) *Metamorph.* l. XI. vs. 270 sqq. 411. 748. Cff. Hyginus, *Fabula* 65. Lucianus, *Halcyon*, s. *de Metamorphosi.*

Lucifer hunc genuit, claris delapsus ab astris,
Praevius Auroras, Solis noctisque satelles.

Genuisse enim Lucifer Ceycem fertur ex Philonide, ad quam, utpote mortalem, sese coelitus demiserat. Quod autem *praevius Aurorae, solis noctisque satelles* hîc vocatur, sponte intelligitur. Idem enim sidus, mane Solem et Auroram praecedens, Lucifer, vesperi Solem subsequens, Hesperus, etiam communi nomine Veneris stella appellatur [1]). Respexit fortasse hunc Ciceronis locum Ovidius [2]), ubi similiter canit:

Jamque, fugatura Tithoni conjuge noctem,
Praevius Aurorae Lucifer ortus erat.

Hasce vero exercitationes, aptas in primis et accommodatas cum ad acuendum ingenium subigendumque, tum vero etiam ad perpoliendam dictionem poeticam, graviora identidem studia excipiebant. Ab Homerica enim poesi nativaque ejus simplicitate ad sublimitatem tragicam sponte sua eseendebat. In quo genere excellentes auctores, Aeschylum, Sophoclem et Euripidem assidua lectione tractavit, eumque ad eam rem non praeceptis artis instructus, sed incorruptae naturae praesidio ac sensu pulcri acerrimo accederet, dramaticae poeseos vim et ubertatem brevissimo tempore assequebatur. Itaque secutus pristinorum poetarum Romanorum exemplum, ab Aeschylo scribendi materiem sumsit, fabulamque

---

1) Hyginus, *Poet. Astron.* l. II. c. 42. 2) *Heroides*, Ep. 18. vs. 112. cf. 81.

Pontium Glaucum Latinis versibus hexametris vel interpretatus vel imitatus est. Sed quandoquidem plane periit Ciceronis fabula, quae Plutarchi etiam aetate legebatur [1], Aeschylei autem dramatis praeter paucissima fragmenta nihil superest, sufficiet ex argumento animadvertisse, quam idonea fuerit materia, quae versibus celebraretur. Ferunt enim, Glaucum piscatorem fuisse Anthedonis in Boeotia, qui cum aliquando captos pisces in ripa abjecisset, vidit hos contactâ quadam herba vires suas colligentes prosilire in mare. Erat autem herba illa sacra, a Saturno seminata, qua Phoebus ad reficiendos equos utebatur. Glaucus vero, miratus herbae naturam, gustavit eam: quo facto, numine divino afflatus, in mare se praecipitavit, et immortalis factus est. Exinde semel quotannis omnes maritimas oras vicinasque insulas lustrabat, et oracula consulentibus noctu edebat [2]. Locus autem, ubi in mare se

1) *Vita Cic.* c. 2. Cf. Bartonus ad h. l. 2) Collegerunt de eo fabulas Athenaeus l. VII. c. 47, 48. XV. 23. Pausanias in *Boeoticis*, c. 22. Strabo IX. p. 621. Nonnus, *Dion.* XIII. 73. XXXV. 73. XXXIX. 99. Philostratus, *Imag.* II. 15. Ovid. *Metam.* VII. 232 sqq. XIII. 904 sqq. alii multi. — Argumentum Aeschylei dramatis, cujus reliquias collegit Schützius in Edit. Aeschyli t. V. p. 29 sqq., solertissime instaurare conatus est G. Hermannus in Diss. de Aeschyli Glaucis (*Opusc.* t II. p 65 sqq.), de vaticiniis Glauci, coram Hercule et Oedipode habitis, plurimum suspicatus. De Ciceronis poematio cff. Corradus, p. 254. Andr. Schottus, *Observ. Poet.* l. II. c. 47. p. 95. *Nodi Cicer.* l. III. c. 10. Middleton I. p 38. Nobbius, *Fragm. Cic.* in Edit. Orellii, t. IV. P. II. p. 571.

conjecit, inclaruit postea, et Γλαύκου πύξιμα appellatus est, ibidemque fortasse statua in ejus honorem posita ad mare, cujus, tempore fracta ac mutilata, in sublimi comparatione meminisse Plato videtur 1).

Quamvis autem Cicero in Aeschylo vim tragicam admirabatur, eumque ad imitandum sibi proponebat, tamen Euripidi, de scena philosopho, propter majorem ingenii similitudinem, quae ipsi cum illo, ut antea Platoni, intercedebat, praeclaram operam navavit. Ex hoc etiam, prouti ex Homero, ex Aeschylo et Sophocle 2) saepius tentaverat, loca nonnulla vertit, quae passim in ejus operibus obvia sunt 3): tanti autem poetam fecisse putandus est, ut ad Tironem scribens affirmaret, singulos Euripidis versus singula testimonia se existimare, citans ejus hoc carmen senarium:

Ψῦχος δὲ λεπτῷ χρωτί πολεμιώτατον 4).

In hac vero tragicorum Graecorum cum lectione tum Latina interpretatione ut sua ipse sponte progrediebatur, ita magnopere Quinti fratris studio et

1) *Rep.* l. X. p. 611. ubi Θαλάττιος Γλαῦκος vocatur. Cff. omn. Scholia ad l. l. et Astius. — Schol. ad Apoll. Rhodii Arg. l. l. 1310. 2) *Tusc.* II. c. 9. 10. Cf. Stephanus *Lex. Cic.* p. 112 sqq. 116. Aeschylea quaedam in Cic. observata affert Seehode's *Arch. f. Philol.* Vol. I. p. 818. 3) Ea subinde notavit Muretus in *Var. Lectt.* Vol. II. Opp. Stephanus op. cit. p. 108 sqq. P. Victorius *Var. Lect.* l. XXXV. c. 14. p. 176. 4) *Epist. ad Fam.* XVI. 8. Wieland, Op. c. t. IV. p. 41. Cf. Gyraldus, *de Poett. hist. Dial.* VII. p. 370.

aemulatione incitatus adjutusque est, qui cum poesin Graecam valde coleret, eodemque proposito, ut ejus suavitate ac venustate imbueret Romanorum ingenia, adhibere eam vellet, complures Euripidis fabulas Latino sermone expressit. 1)

Pari quoque uterque diligentia in alio studiorum genere, quod nondum a Romanis usurpatum erat, laboraverunt. Astronomiam enim, quam Marcus quidem postea magis sedulo tractavit, in adolescentiâ ita dignam habuerunt, cujus sibi notitiam compararent. Quodsi quaerere velimus, cur tam tenera aetate rem attigerint, quae extra studiorum cursum posita latiusque diffusa videatur, quam quae ab ipsis probabiliter tum quidem excoli posset, cogitemus cum Marci naturam, quae quum vim contineret philosopham, sponte adducere adolescentem debuit ad maximarum rerum, imo coelestium cognitionem mente animoque appetendam; tum Quinti fratris, in dissimili ingenii virtute, aequalem ac prope parem industriam, qui ut quotidie laudabile fratris exemplum strenuamque operam intuebatur, ita vix abesse poterat, quin eodem stimulo incitaretur. At vero tenentes hunc discendi ardorem, quo flagrabat uterque, haud sane aliud negligamus, quod pariter ambos ad ingrediendum novum stadium impellere potuit, universeque ad prorogandos doctrinae fines maximam vim habuit.

---

1) Corradus, p 234. Middleton, I. p. 401. 2. Bähr, p. 582.

Novimus enim, primam eos pueritiam ruri transegisse. Ibi non tantum eruditi patris exemplo ad virtutis amorem et discendi laborem ac perseverantiam instigabantur, sed etiam ipsa naturae pulcritudo, vitae rusticae amoenitas, coeli denique sereni et candentibus astris distincti spectaculum movere juvenum animos, erigere atque in sui rapere admirationem coepit. Quo fiebat, ut mox in Urbem a patre delatos, ut uberioris disciplinae fructus perciperent, saepius concessi otii opportunitas animique relaxandi cupido rus eos invitaret. E quibus crebris excursionibus quantam Marcus hauserit voluptatem, ipse postea, quum ad illam vitae rationem et tranquillitatem reipublicae fortuna literarumque studia eum revocassent, satis aperte declaravit. Non enim ignoramus pulcherrimum illum locum in libro II de Legibus, cujus initium ducitur a laudibus villae Arpinatis; ubi, celebrata ab Attico loci amoenitate, ita Marcus: »Ego vero, cum licet plures dies abesse Româ, praesertim hoc tempore anni, (aestas erat) et amoenitatem hanc et salubritatem sequor. Sed nimirum me alia quoque causa delectat, quae te non attingit ita. — Quae tandem ista caussa est? — Quia, si verum dicimus, haec est mea et hujus fratris mei germana patria: hinc enim orti stirpe antiquissima sumus; hîc sacra, hîc genus, hîc majorum multa vestigia. Quid plura? hanc vides villam, ut nunc quidem est, latius aedificatam patris nostri studio: qui cum esset infirma vale-

tudine, hic fere aetatem egit in literis. Sed hoc ipso in loco, cum avus viveret, et antiquo more parva esset villa, me scito esse natum. Quare inest nescio quid, et latet in animo ac sensu meo, quo me plus hic locus fortasse delectet: siquidem etiam ille sapientissimus vir, Ithacam ut videret, immortalitatem scribitur repudiasse." — Deinde quaerenti Attico, numquid duas haberet patrias, respondet: » Ego me hercule et Catoni sapienti et omnibus municipibus duas esse censeo patrias; unam naturae, alteram civitatis: ut ille Cato, cum esset Tusculi natus, in populi Romani civitatem susceptus est. Itaque, cum ortu Tusculanus esset, civitate Romanus, habuit alteram loci patriam, alteram juris. Sed necesse est, caritate eam praestare, quae reipublicae nomine universa civitas est. Dulcis autem non multo secus est ea, quae genuit, quam illa, quae excepit. Itaque ego hanc meam esse patriam prorsus nunquam negabo, dum illa sit major, et haec in ea contineatur." — Haec quidem ille senior cum voluptate recordabatur; at quanti fecerit juvenis hujus vitae rusticae delicias, cognoscimus ex oratione pro Roscio Amerino, qui ipse hoc vitae genus amplectebatur. Praedicat ibi agriculturae et vitae rusticae honestatem, suavitatem, utilitatem. » Patres familias, ait, c. 15. qui liberos habent, praesertim homines illius ordinis, ex municipiis rusticanis, nonne optatissimum sibi putant esse, filios suos rei familiari maxime servire,

et in praediis colendis opemque plurimum studiique consumere?" Affert Cincinnati et Atilii exempla c. 18. » Majores nostri, inquit, longe aliter et de Atilio et de ceteris talibus viris existimabant. Itaque ex minima tenuissimaque republica maximam et florentissimam nobis reliquerunt. Suos enim agros studiose colebant. Apud majores nostros summi viri, clarissimique homines, qui omni tempore ad gubernacula reipublicae sedere debebant, tamen in agris quoque colendis aliquantum operae temporisque consumserunt." Tum vero in primis c. 27: » Vita haec rustica parsimoniae, diligentiae, justitiae magistra est."

Haec igitur vita, quam amabat, una maxima erat apta ad excolendum poeseos studium et ad exercendas ingenii vires. Quippe, ut ceterae artes, quae majorem postulant industriam et animi contentionem, urbis angustias patiuntur, ita haec, quae in adspiciendo coelo menteque ad divinam sublimitatem efferenda et expromendis animi sensibus versantur, universae naturae theatrum, tanquam propriam sedem, requirunt. In Arpinati igitur agro frequenter commorans Cicero, ingenium suum solebat in libertatem vindicare; ibi gratum otium nactus, inchoabat nova studia, e quibus cum ad rerum cognitionem suam, tum ad literarum Latinarum et gentis Romanae emolumentum profecit quam plurimum. Quaerere iccirco de rebus Astronomicis sedulo coepit, cumque illius artis elementa profecta essa a

Graecis videret, ut qualemcunque sibi ejus peritiam contraheret, ad illos se convertit. Hoc propositio Arati carmina, quae *ornatissimis atque optimis versibus* de coelo stellisque scripta erant, quamvis, ut postea Cicero fassus est, *inter doctos constaret, hominem fuisse Aratum ignarum astrologiae*, 1) studiose legebat, et sibi sic rerum coelestium contemplatione et cognitione placebat, ut ea carmina, assiduâ lectione trita, in Latinam linguam converteret. 2)

Huc respicit locus quidam J. Capitolini, de quo paucis necesse est ut videamus. Is de Gordiano Seniore Imperatore scribens: *Adolescens*, inquit, *quum esset Gordianus, poemata scripsit, quae omnia extant; et cuncta illa, quae Cicero ex Demetrio et Arato, et Alcyonas, et Uxorium, et Nilum: quae quidem ad hoc scripsit, ut Ciceronis poemata nimis antiqua viderentur.* 3) Primum quidem, quis ille fuerit Demetrius poeta, cujas, quo tempore natus, non liquet: neque enim vel ipse Cicero eum memorat, nec quisquam alius ejus memoriam celebravit. Deinde, quum poema Ciceronis Alcyone a Nonio Marcello afferatur, ne verbum quidem de reliquis duobus, Uxorio et Nilo, apud ullum auctorem invenitur, quae sane miris titulis

1) *De Orat.* I. 16. — Cf. Quinct. *Inst. Orat.* l. X. c. 1.
2) *De Nat. Deor.* II. 41. Corradus, p. 254, 255. Nobbius *ad Fragm. Cic.* in Edit. Orell. t. IV. P. II. p. 518.
3) In Scriptoribus historiae Augusteae, t. II. *Vitae Gordianorum*, c. 3.

circumferuntur. Interpretes, monente lectionis varietate, mendosos titulos crediderunt, et corrigere locum studuerunt. Salmasius [1]) quidem veram sibi lectionem eruisse videbatur, scribendo: *et cuncta illa, quae Cicero edidit, Marium et Aratum et Alcyonas et Uxorium et Nilum.* Quae quidem lectio, etsi aliquatenus ferri possit, istud tamen habet difficultatis, quod Cicero improprie dicatur edidisse Aratum, cujus tantum carmina Latine vertit, non, ut Marium, composuit. Sed ponamus, minus curiose Capitolini verba ponderanda, neque ad vivum pro aetatis suae ratione resecanda esse, istud tamen mirum est, ac quaerendum restat, quî sit factum, ut Gordianus argumenta, a Cicerone antea excogitata et tractata, propterea sibi instauranda putaverit, ut Ciceronis poemata nimis antiqua et obsoleta viderentur. Quod sane absurdum est, potiusque de Arati versione intelligi placet. Invaluerat enim sensim opinio sub Imperatoribus, cuncta illa, quae liberâ republica a scriptoribus edita vel e Graecis versa essent, non satis recte fuisse elaborata, et vertendi officium minus accuratâ ratione quam elegantiâ sermonis conspicuum esse debere. Eo autem processit res, ut Taciti tempore non solum Cicero, Livius aliique, *priorum* sive *veterum* aetati adscriberentur, sed Seneca etiam referretur ad eorum nu-

1) Ad J. Capitolini l. l. Cff. A. Patricius *ad Fragm. Cic.* p. 171. Orellius Opp. Cic. t. IV. P. II. p. 566.

merum et *recentibus* scriptoribus opponeretur. 1) Quo minus mirandum videtur, tempore Gordiani, qui floruit seculo fere post Tacitum, plane consenuisse liberae reipublicae literaturam, et operae pretium se facturum putavisse Gordianum, si exemplo Germanici Caesaris in convertendo Arato juvenilis ingenii vires exercere conaretur. Aratus autem, Alexandrinus poeta, ex illorum genere erat, qui hoc maxime aevo propter ingenii luxuriem, et orationis copiam et rerum tractatarum amplitudinem ceteris antecellere viderentur; commendabat igitur se interpretibus et imitatoribus suis, Ciceroni, Virgilio, Ovidio, Germanico, Gordiano, et Festo Avieno, quod haberent hi in fictionibus mythologicis, ab Arato vixdum memoratis, unde frequentem fingendi materiem nanciscerentur. Iccirco Gordianus, quamvis maturiore demum aetate cum Platone semper, cum Aristotele, cum Tullio, cum Virgilio, ceterisque veteribus ageret, 2) juvenis tamen, imbutus populari opinione, in Arateis carminibus convertendis ac spernenda Tulliana oratione acquievit.

Et haec quidem accuratius consideranti nata mihi suspicio est, in corrupto J. Capitolini loco perperam sibi interpretes alia Ciceronis poemata praeter Arati versiones invenire visos esse. 3) Magis ma-

1) Vid. Walch in adnot. Germ. ad Taciti Agricolam, p. 119, 120. et quos citat auctores. Tunstall. *Obss. on the Epist. between Cic. and Brutus*, p. 61. 2) J. Capitol. l. l. c. 7. 3) Quam corruptae, ut aliae aliorum, ita maxime Gor-

gisque iccirco adducebar ad lectionem vulgatam, a qua plus minusve codices recedunt, ita corrigendam, ut legeretur: *Adolescens quum esset Gordianus, de quo sermo est, poemata scripsit, quae omnia exstant, et cuncta illa, quae Cicero hexametris ex Arato hallucinatus est, Exortum et Nixum: quae quidem ad hoc scripsit, ut Ciceronis poemata nimis antiqua viderentur.*

Hujus autem conjecturae rationes jam afferre liceat. Quod attinet ad verba EIDEMETRIO, corrupte leguntur pro HEXAMETRIS s. EXAMETRIS. Deinde secundum ea, quae ab editoribus et interpretibus Arati vulgata sunt, [1]) satis mihi constare videtur ex antiquorum testimoniis, Arati φαινομενῶν duo fuisse libros, quorum prior inscriptus esset Ἀστροθεσία, alter Ἀνατολή. Haec tenentibus haud absurde videatur Cicero verba illa Graeca Latine interpretatus *Nixus* et *Exortus stellarum*, vel simpliciter, ut in carminum titulo: *Nixus* et *Exortus;* quae quomodo in *Nilum* et *Uxorium* migrare potuerint, non intellecto vero sensu a librariis, sponte patet. Ut vero *exortus solis et siderum* dicitur, ita *nixus astrorum*, etsi insolentius fortasse, usurpatum tamen fuisse declarat

---

dianorum vitae ad nos pervenerint, optime monuit Heynius in *Cens. sex script. Hist. Aug.* (*Opusc.* t. VI.) imp. p. 62.

1) Plurima habentur apud Buhlium in *Comm. de vita, ingenio rell. Arati Solensis*, inserta Edit. Arati, Vol. II. p. 449 sqq. Cf. Grauert, *Ueber die Werke des Aratus.* (*Rhein. Museum*, Vol. I. p. 336 sqq.)

Ciceronis locus de Nat. Deor. l. II. c. 46. ubi: »in aethere, ait, astra volvuntur, quae se et *nixu* suo conglobata continent, et forma ipsa figuraque sua momenta sustentant." Item M. Varro in Chorographia:

Vidit et aetherio mundum torquerier axe,
Et septem aeternis sonitum dare vocibus orbes,
Nitentes aliis alios. 1)

Denique ratio reddenda mutatae scripturae ET ALCYONAS ET, in HALVCINATVS EST. Verosimiliter librarius, *halucinandi* magis artem quam notionem callens, genuinam sibi lectionem reperisse visus est legendo ET ALCYONAS pro HALVCINAT°, memor fortasse loci Noniani, a nobis supra laudati, 2) ubi inventa carminis Ciceroniani *Alcyones* mentione, amplius non dubitavit, quin is titulus hîc apprime conveniret. Sic igitur in errorem adductus est. *Halucinari* autem, teste Laurentio Valla, 3) est visu errare, atque caligine quadam obducta minus recte dignoscere, quod ad oculos etiam mentis transfertur. Jam vero si attendimus Latinam Ciceronis versionem Arateorum, videmus sponte, Grotio viam praeeunte, 4) non satis accurate passim loca ab eo conver-

1) Alii aliter hanc ἀστροθεσίαν exponunt. Ipse quidem Cicero postea dixit *Positionem siderum.* Fragm. Hortensii in Ed. Orell. t. IV. P. II. p. 480. Licentius *Situm* in Carmine ad August. v. 14.

Posco .... astrorum caussas clarosque meatus,
Obscuros quorum ille (Varro) *sitûs per nubila monstrat.*

Cf. Wernsdorf, *Poett. Lat. Min.* IV. p. 519. 2) p. 27. 3) Lucubrat. p. 379. Cf. Nonius, p. 121. Wytt. ad Cic. de N. D. p. 734. Ed. Moseri. 4) In *Syntagmate Arateorum.*

sa, ut nimis subinde a Graecis recedens, aut recte sensum non percepisse, aut certe parum evidenter videatur reddidisse. Iccirco etiam Capitolinus, scribens de Gordiani proposito, atque ut ferebat istius seculi ratio, non valde reverenter de veteribus pronunciare solitus, ut carperet Ciceronianae versionis vitium, halucinatum fuisse Tullium et nimis antique scripsisse testabatur.

Horum igitur carminum, sive illa Cicero communi nomine *Phaenomena* dixerit, seu diversis tantum titulis singula appellaverit, satis magna pars superest. Alia item fragmenta ostendunt, elaborasse eum in vertendis Arati Diosemeis, quae cur maluerit alio verbo Graeco *Prognostica* vocare, non constat. Interiit ex virorum doctorum opinione majus Arati opus reconditae doctrinae, Ἀστρικά inscriptum, cujus pars posterior Διοσημεῖα continebat, popularius scripta et ad vitae rusticae et agriculturae usum composita. In iis enim de signis tempestatum exponitur. Vertit haec Cicero, ut quidem videtur, adolescens, et fortasse postea recensuit [1]).

1) *De Div.* l. I. 7, 8, 9. *Ep. ad Att.* l. II. 1. l. XV. 16 b. ad quem locum v. Wieland, t. VI. p. 519. 425. Cff. Corradus, p. 260. A. Patricius *ad Fragm. Cic.* p. 173 sqq. Stephanus, *Lex. Cic.* p. 68 sqq. A. Schottus, *Nodi Cic.* l. IV. c. 5. Muretus Opp t. II. p. 29. Tiraboschi op. cit. P. III. l. III. p. 173. Abeken. p. 66. Nobbius, *Fragm. Cic.* Ed. Orell. p. 555. Middleton I. p. 236. Buhle, *Cic. Arat. fragm.* in Edit. Arat. Vol. II. Grauert l. l. Fabricius, *Bibl. Lat.* t. I. p. 129. Bähr, p. 138.

Duximus probabiliter hanc Arateorum carminum versionem ex innato Ciceronis vitae rusticae contemplandaeque naturae studio. Quod non sine ratione ita nobis visum esse, confirmatur Oeconomici Xenophontei vertendi consilio, quod non ita multo post suscepit. Qua enim re alia, quam mirifica agriculturae rusticorumque operum oblectatione et suavitate ductus, hunc libellum illustrare latinis literis maluit, quam in aliis palmariis Xenophontis operibus, Anabasi aut Cyropaedia, vertendi studium ponere?

Profecto patris sui, ruri colendo operam navantis, excitatus sermonibus atque exemplo, voluit ea cognoscere, quae veteres Graeci et Romani de agriculturae studiis memoriae tradiderant. Non solum iccirco Catonem dilexit plurimum ejusque libros tractavit de re rustica, sed Xenophontis etiam Oeconomicum diligenter adhibuit et commendare Romanis, ut versi commendatique iis Magonis de agricultura libri erant, [1]) magnopere hunc libellum studuit. Facit ergo Catonem ipsum dicentem in libro *de Senectute:* »Multas ad res perutiles Xenophontis libri sunt: quos legite, quaeso, studiose, ut facitis. Quam copiose ab eo agricultura laudatur in eo libro, qui est de tuenda re familiari, qui Oeconomicus inscribitur?" Ipse autem ad filium perscribens: [2]) »Res familiaris, ait, quaeri debet iis rebus, a quibus

1) Plinius *Hist. Nat.* l. XVIII. c. 5. Cf. Crinitus, *de Hon. Disc.* l. IV. c. 2. 2) *De Off.* II. 24.

abest turpitudo: has res commodissime Xenophon Socraticus persecutus est in eo libro, qui Oeconomicus inscribitur: quem nos ista fere aetate cum essemus, qua es tu nunc, e Graeco in Latinum convertimus." Librum autem singularem Xenophontis videtur in tres libros distribuisse, atque inscripsisse: *Universae dispensationem domûs.* Primus liber praecepta habuit, quemadmodum deberet mater familias domi agere; secundus, quemadmodum foris pater familias; tertius agri colendi rationem est complexus. 1) De versione ipsa Ciceronis cum non liceat amplius propter fragmentorum penuriam existimare, audiamus Hieronymum, qui, Ciceronis studiosissimus, sic dicit: *Noster Tullius cum Aratum jam Romanum exametris versibus edidisset, in Xenophontis Oeconomico lusit; in quo opere ita saepe aureum illud flumen eloquentiae quibusdam scabris et turbulentis obicibus retardatur, ut, qui interpretatum nesciunt a Cicerone, dicta non credant.* 2)

Haec quidem nos de vitae rusticae studio, quod

---

1) Servius ad Georg. Virg. l. I. v. 43. ad Aen. I. v. 707. Hieronymus, *Epist. ad Algasiam*, Quaest. VI. p. 900. *Ep. ad Pammachium*, p. 724. Cff. Scholia, p. 729 a. *Ep. ad Suniam et Fretellam*, p. 815. Stephanus, *Lex. Cicer.* p. 42 sqq. C. Sigonius, *Scholia in libros tres Oecon. Cic.* p. 51 sqq. A. Patricius, *in Oecon. ex Xenophonte*, p. 125 sqq. A. Schottus, *Nodi Cicer.* l. III. c. 7. Nobbius, *ad Fragm. Cic.* Edit. Orell. p. 472 sqq. 2) Corradus, p. 255.

maximum fuit in Cicerone adolescente, animadvertere necesse duximus. Nec sane nescimus, quantum idem vitae genus ad extremam senectutem ei placuerit. Sed explicanda est ex eodem hoc constanti studio, quo ducebatur, non solum ratio, qua saepe comparationes suas a re rustica repetit, sed etiam qua, ut in libris de Republica, ipsa vocabula, quae propria agriculturae essent, ad rempublicam transtulerit. Qualia haec sunt: »Ut villicus naturam agri novit, dispensator literas scit, uterque se autem a scientiae delectatione ad efficiendi utilitatem refert; sic noster hic rector studuerit sane juri et legibus cognoscendis, sed se responsitando et lectitando et scriptitando ne impediat, ut *quasi dispensare* rempublicam et in ea quodammodo *villicare* possit." 1)

Nec tamen Cicero, quum maximam scriptoribus Graecis, et vertendi scribendique diligentiae operam navaret, Latinos antiqui aevi aut aequales et antecedentes neglexit. Ennium, *sicut sacros vetustate lucos, in quibus grandia et antiqua robora jam non tantam habent speciem, quantam religionem*, adoravit. 2) Hunc, ut posteriores Virgilium, ita ipse tanquam Homerum suum, tanquam spectatum auctoritate oraculum, assidue celebravit, ac siquid ipse dirimere nollet, aut si quod quaereretur sententiae suae praesidium, Enniani effati accedebat momentum. Videbat, quomodo ille, aetatis suae se surripiens an-

1) *De Rep.* V. 3. Cf. Tusc. III. 6. (13). 2) Quinct. l. X. c. 1.

gustiis, ingenium suum alere ex Graeco fonte studuisset, et istam normam secutus, Scipionis laudes carmine heroico extulisset. Quare Latinae poeseos parentem aemulatus, quum ipsius animum vehementer fama nomenque Marii, municipis sui, excitasset et inflammavisset, heroem hunc dignissimum habuit, in cujus ornanda memoria datâ operâ elaboraret. Quo autem tempore hoc epicum carmen condiderit, quod periculum suum vocat, ambigitur. Corradus [1]) quidem in eam venit opinionem, ut mortuo Sulla, vel certe postquam dictaturam deposuisset, Marium scriptum crederet. *Ut enim Cicero*, inquit, *vivo Sulla, nihil, quod illum posset offendere, scripsisset: sic illo mortuo, re tamen adhuc recenti, videtur Marium versibus, quibus eo tempore delectabatur, scripsisse. Illum certe se in Epist. ad Atticum*, [2]) *in libris de Legibus*, [3]) *et de Divinatione* [4]) *scripsisse testatur: quamquam de tempore nihil omnino dicat. Unde saepe sum veritus, ne poema fuerit, quod ad Caesarem post reditum misit.* Alio item loco: [5]) *Post orationem de Rege Alexandrino poema scripsit, quod Marium videri potest inscripsisse. Tuno enim Cicero de vetere diuturnaque sententia depelli ac popularis esse coepit, et ob id Marium, qui popularis fuit, ad Caesarem, qui Marianus et po-*

1) *Quaest. Cic.* p. 256. 2) *Epist.* l. XII. Ep. 49. 3) L. I. c. 1. 4) L. I. c 47. 5) p. 260.

pularis fuit, videtur misisse. Ad Atticum 1) *certe scripsit ita:* » *Ain tu? existimas ab ullo malle mea legi, quam a te? Cur igitur cuiquam misi prius? urgebar ab eo, ad quem misi, et non habebam exemplar. Quid? etiam (dudum enim circumrodo, quod devorandum est) subturpicula mihi videbatur esse* παλινῳδία, *sed valeant recta, vera, honesta consilia. Non est credibile, quae sit perfidia in istis principibus, ut volunt esse, et ut essent, si quidquam haberent fidei.*" *Illi versus etiam fuerunt in Mario:*

Hanc ubi praepetibus ——

In quibus quidem versibus et aliis Cicero videri potest reditum Marii cum suo reditu, ut alibi quoque, comparasse. Haec sagacissimi viri sententia, quam operae pretium est cognovisse, num vera sit, dubito. Ut enim omittam, Ciceronem in causa Roscii suscipienda probasse egregie, non metu deterreri se, quominus, vigente Sulla, libere sententiam diceret, non negligendum est, Scaevolam Pontificem epigrammate quodam commendasse opus Ciceronis: unde satis apparet, habita temporum ratione, vivo adhuc et Dictatore Sulla compositum carmen fuisse. 2) Etiam Archias, ut vidimus, res Marii gestas celebravit, quas, Sullae nihil veritus invidiam, ante hoc tempus edidisse videtur.

1) L. IV. Ep. 5. 2) Fabricius, *Vitâ Cic.* §. 31. Nobbius, *Fragm. Cic.* Ed. Orell. t. IV. P. II. p. 566. Ersch, *Encycl.* t. XVII. p. 241. Abeken, op. cit. p. 4. 8.

Ex paucissimis autem, quos nobis Cicero servavit sui operis versibus non plane constat, quas potissimum res complexus sit: utrum, exorsus a Marii origine ac patria Arpinati, clarissima ejus facinora laudibus ornaverit, an silentio praetermissis aut leviter adumbratis iis, quae Archias tractavisset, cetera copiosius sit persecutus. Verisimillimum mihi videtur, praecipue proposuisse sibi auctorem, Arpinum, germanam suam Mariique patriam, versibus commendare. Quod satis indicat libri I de Legibus prooemium, ubi Atticus incipit: » Lucus quidem ille et haec Arpinatium quercus agnoscitur, saepe a me lectus in Mario. Si manet illa quercus, haec est profecto: etenim est sane vetus. — Quintus. Manet vero, Attice noster, et semper manebit, sata est enim ingenio. Nullius autem agricolae cultu stirps tam diuturna, quam poetae versu, seminari potest. — Atticus. Quo tandem modo, Quinte? aut quale est istuc, quod poetae serunt? mihi enim videris, fratrem laudando, suffragari tibi. — Quintus. Sit ita sane. Veruntamen dum Latine loquuntur litterae, quercus huic loco (f. luco) non deerit quae Mariana dicatur: eaque, ut ait Scaevola de fratris mei Mario,

Canescet saeclis innumerabilibus.

Nisi forte Athenae tuae sempiternam in arce oleam tenere potuerunt, aut quod Homericus Ulysses Deli se proceram et teneram palmam vidisse dixit, hodie

monstrant eandem. — Quare glandifera illa quercus, ex qua olim evolavit

Nuntia fulva Jovis mirandâ visa figurâ,

nunc sit haec: sed cum eam tempestas, vetustasve consumserit, tamen erit his in locis quercus, quam Marianam quercum vocent."

Ex hoc loco, ut celebrandae patriae opportunitatem oblatam Ciceroni fuisse intelligimus, ita ea, quae de glandifera quercu Arpinati disputantur, pertinent ad memorabile quoddam augurium, quod Mario adolescenti factum fingitur. Nam, quum constaret, Marium augurii peritissimum fuisse, Cicero autem, hanc ei laudem tributurus, ad Arpinatium maxime et voluptatem et superstitionem accommodare narrationem suam vellet, fortasse ex veteri quadam traditione, quae celebrabatur de Mario, fabulandi sibi copiam fecit. 1) Eo certe spectant, quae leguntur De Divin l. I. c. 47, ubi Quintus ad Marcum fratrem: » Quid, inquit, est illo

1) De auguriis Mario factis vid. Plutarchus, *Vita Marii*, c. 17. 36. Val. Max. l. I. c. V. 5. Quod autem Cicero celebrii omen, ipsius deberi ingenio, satis illa docent, quae Atticus pergit quaerere: *Hoc jam non exte, Quinte, quaero, verum ex ipso poeta, tuine versus hanc quercum severint, an ita factum de Mario, ut scribis, acceperis. — Atqui multa quaeruntur in Mario, fictane an vera sint; et a nonnullis, quod et in recenti memoria et in Arpinati homine, veritas a te postulatur.* Sic Wytt. pro vulg. *vel severitas.*

auspicio divinius, quod apud te in Mario est, ut utar te potissimum auctore:

Hic Jovis altisoni subito pinnata satelles
Arboris e trunco serpentis saucia morsu,
Ipsa feris subigit transfigens unguibus anguem
Semianimum et varia graviter cervice micantem,
Quem se intorquentem lanians rostroque cruentans,
Jam satiata animos, jam duros ulta dolores,
Abjicit efflantem et laceratum affligit in unda,
Seque obitu a Solis nitidos convertit ad ortus.
Hanc ubi praepetibus pennis lapsuque volantem
Conspexit Marius, divini numinis augur,
Faustaque signa suae laudis reditusque notavit:
Partibus intonuit coeli pater ipse sinistris.
Sic aquilae clarum firmavit Jupiter omen."

Ex recens autem adventitio versu,

Tunc se fluctigero 1) *tradit mandatque paroni,*

quem affert Isidorus Orig. XIX. 1., quemque interpretes Mario vindicant, suspicari licet, Ciceronem extrema quoque tempora herois sui fugamque Minturnensem cecinisse. 2)

In ceteris autem Latinis poetis, quos magni fecit, praecipuum quendam locum Terentio tribuebat. Nec sane mirum. In hoc enim poeta, per quem, ait Paterculus, ut per Caecilium et Afranium, dulces Latini leporis facetiae sub pari aetate nituerunt, 3)

1) Hermannus conj. *fluctiseco.* 2) Turnebus *Comm. ad l. I. de Legg. c. 1.* A. Patricius ad *Fragm. Cic.* p. 177 sqq. Nobbius in Ed. Orell. t. IV. P. II. p. 567. 572. Middleton, I. p. 42. 3) L. I. c. 17.

id, quod in ejus aequalibus requirebat, invenit, tersam ac dilucidam orationem, accommodatam singulis singularum personarum conditionibus, nativam venustatem nullo fucatam artificio, acrem praeterea ingenii humani pervestigationem ac descriptionem, universe vitae quandam philosophiam. Hujus iccirco poesis ut Ciceroni tantopere placeret, non sane casu factum est. Ut enim ab ineunte aetate ipsa eum studiorum ratio et institutionis consilium ad Graecorum potissimum scriptorum legenda opera adduxit, ita ex Latinis eos, qui proxime ad illorum praestantiam ubertatemque accedebant, non minore assiduitate tractavit, imo singulari amore et admiratione prosecutus est. Ceteris igitur poetis suas quibusque laudes concessit: in Terentio tamen, praeter imitandi felicitatem, inventionis gloriam et sermonis elegantiam demirabatur. [1]) Quare ad hunc quasi quodam naturae instinctu deducebatur, neque videtur temere ita contigisse, ut quemadmodum Platonem accipimus a legendis Sophronis mimis adolescentem abstinere non potuisse, Cicero, eodem proposito studioque ductus, legendo Terentio satiaretur nunquam.

Quamobrem juvenis, ut videtur, versibus eum celebravit. Cujus rei vestigium ipse quidem nullum in scriptis reliquit, sed memoriam carminis Sueto-

1) Cic. *de Opt. Gen. Orat.* c. 3. 4. *Ep. ad Att.* l. VII. Ep. 3. Cf. Victorius. Var. Lect. l. XXXI. c. 4. XXXVII. 18. Gyraldus, *De Poet. hist. Dial.* VIII. p. 419.

mius in vita Terentii, 1) quae ejus nomine fertur, servavit. Leguntur ibi hi versus, inde ducti:

Tu quoque, qui solus lecto sermone, Terenti,
Conversum expressumque Latina voce Menandrum
In medio populi sedatis vocibus effers,
Quidquid come loquens, ac omnia dulcia dicens. 2)

Versus hi procul dubio longioris carminis pars sunt, quo num pluribus laudes Terentii persecutus sit, etsi non liqueat, tamen movent suspicionem illa Suetonii verba, versibus praemissa: *Cicero in Limone hactenus laudat.* Quare credo vel excidisse quaedam, vel omissa consulto esse. Carminis titulum suspectum habuit Schottus, conjecitque legendum *Libonem.* 3) Sed lectio vulgaris videtur

---

1) C. 5. 2) Praefert Olivetus *liquens*, docens istud et Virgilianum esse, et significare id, quod ab Horatio l. I. Ep. XIX. v. 44. *manare* dicitur. Imitatus est Ciceronem Ausonius in Protreptico ad nepotem. Edyll. IV. v. 58. sqq.

Tu quoque, qui Latium lecto sermone, Terenti,
Comis, et adstrictus percurris pulpita socco,
Ad nova vix memorem diverbia coge senectam.

3) In *Nodis Ciceron.* l. III. c. 10. ubi dicit: „Ciceronis poemation intercidisse, quod Limone apud Donatum (vel Suetonium) inscribitur, observatum. Quia vero Terentium Comicum Orator ibi laudandum susceperat, a cujus assidua lectione minime abhorruisse res ipsa clamat, equidem in eam veni sententiam, ut unius literae immutatione *Libonis* nomine inscribendum putarem, cum in gentis Terentiae laudem carmen pangeret. Terentius enim Libo Fregellanus fuit poeta, ad quem et libros M. Terentius Varro misisse dono dicitur, quorum primum laudat Macrobius l. III. Sat. c. 18."

omnino tuenda, quam fuere qui acute explicarent. Memoriae enim prodit Plinius, [1]) varia titulorum genera Graecis fuisse usitata. *Inscriptionis*, inquit, *apud Graecos mira felicitas: κηρίον inscripsere, quod volebant intelligi favum: alii κέρας ἀμαλθείας, quod Copiae cornu. Jam Musae*, πανδέκται, ἐγχειρίδιον, λειμών, πίναξ, σχέδιον. Harum inscriptionum sunt nobis aliae aliis notiores, v. c. Μοῦσαι Herodoti, et Aurelii Opilii, [2]) ejusdem et Cebetis πίναξ, Epicteti ἐγχειρίδιον. Itaque eadem ratione existimant confecisse Ciceronem epigrammata in viros clarissimos, quorum seriem, volumine comprehensam et redactam in ordinem, Graeco more inscripserit Λειμῶνα vel *Limonem*, velut esset flosculorum hortus. Etiam Pamphili Grammatici λειμὼν memoratur, quo libro variarum rerum complexus est argumenta. [3])

Ac sic quidem Cicero juvenis comicum Romanum laudavit. Quem etiam per omnem vitam summopere coluit, ut testari nobis, praeter ipsius scripta, Petrarcha [4]) potest, qui fatetur de se ipso, *Terentii amorem primum se ex Tusculanarum Quaestionum concepisse lectione.*

---

1) *Praef. Hist. Nat.* Cf. Quinct. l. XII. 10. *Tanto est sermo Graecus Latino jucundior, ut nostri poetae, quoties dulce carmen esse voluerunt, illorum id nominibus exornent.* 2) Suet. *De Ill. Gr.* c. 6. 3) Suidas, v. *Pamphilus.* Cff. A. Patricius p. 177. Nobbius ad *Fragm. Cic.* p. 566. Gyraldus, l. l. Casaubonus ad J. Capit. Gord. c. 3. Midd. I. p. 42. 4) *Epist.* l. III. 18.

Sed his juventutis periculis nullo modo Ciceroniana poesis absoluta est. Multa ille aetate grandior partim inchoavit, partim perfecit poemata, quorum in Epistolis suis mentionem fecit. De iis breviter hic quaedam notabimus. Patet ex Epistolis, quas ad Atticum dedit, serio eum, gesto consulatu, de villa Arpinati versibus celebranda cogitasse. Qua de re sic scribit: 1) »Velim ad me scribas, cujusmodi sit Ἀμαλθεῖον tuum, 2) quo ornatu, qua τοποθεσία, et quae poemata quasque historias de Ἀμαλθείᾳ habes, ad me mittas. Lubet mihi facere in Arpinati." Quod igitur quasi aliud agens in *Mario* inchoaverat, nunc data opera et peculiari studio in animum induxit perficere. De hoc autem proposito etsi post nihil amplius dicat, suspicor tamen pepigisse eum carmen, cujus fuerit versiculus:

In montes patrios, et ad incunabula nostra. 3)

Quem potius huc, quam cum Wielando ad libros *de consulatu* referam. 4) Neque mirarer, si Cicero hoc carmine villam Arpinatem, qualis fuerat puritiae suae memoriâ, cum avus viveret, et antiquo more parva esset, ut Curiana in Sabinis, comparaverit cum illa, qualem nunc haberet, patris sui studio latius aedificatam. Antiquam autem illam

1) Ad *Att.* I. 16. 2) De Amaltheo Attici cf. Ern. Ind. Gr. – Lat. v. Ἀμαλθεῖον. Wieland, *Vers. Germ.* t. I. p. 279. 3) Ad *Att.* II. 15. 4) Op. l. t. I. p. 400. Cf. Santenius ad Terentianum p. 280. Orellius hunc versum retulit inter fragm. incertae sedis. t. IV. p. 570.

simplicitatem quum versibus eum juvaret recordari, quis erat Quinto fratre aptior, quocum sensus suos communicaret? Huic igitur ipsi et dedicasse carmen et eum compellasse videtur, ubi sic canit:

In montes patrios et ad incunabula nostra.

Quae si ita sint, intelligimus facile, quare postea Atticus, in Arpinatem primum delatus, satis mirari non potuerit, cum nihil in iis locis nisi saxa et montes cogitasset, in eam autem opinionem et narrationibus Marci et versibus inductus esset, 1) qui etiam scripserat in quadam ad eum epistola: 2) » Arpinum quid ego te invitem?

Τρηχεῖ', ἀλλ' ἀγαθὴ κουροτρόφος· οὔτι ἔχωγε
Ἧς γαίης δύναμαι γλυκερώτερον ἄλλο ἰδέσθαι."

Sed illa minora gravius opus magisque elaboratum excepit. Illum enim consulatum suum, quem ἀποθέωσιν appellare Curio solebat, omni laudum genere et ab omnibus et utrâque linguâ tractari et decantari gestiebat. Quare Atticus Graece ejus historiam prosa oratione conficiebat, Posidonium, ut idem instituëret, frustra rogabat, 3) Archias, detrectato primum opere, exorari se tandem passus erat; 4) deinde Luccejum summo ardore, ne quid

1) *De Legg.* II. 1. Cf. Turnebus ad h. l. 2) L. II. 11. 3) Ad *Att.* II. 1. 4) Ad *Att.* I. 16. *Epigrammatis tuis contenti erimus, praesertim quum et Chilius nos reliquerit, et Archias nihil de me scripserit.* — Orat. p. Archia c. 11. *Quas res nos in consulatu nostro pro salute hujus urbis atque imperii gessimus, attigit hic versibus atque*

differret res suas canere, admonuit. [1]) Verum haec dum ab amicis studebat impetrare, ipse quoque operam suam laudationi suae impertiebat. Nam, praeter Graecum ὑπόμνημα et Latinum commentarium, [2]) scripsit versibus Latinis *de Consulatu suo*, quod opus, si ejus rationem e dispersis fragmentis aestimare licet, magnificentissimi spectaculi retulisse speciem videtur. Etenim, si quis hîc conceditur conjecturae locus, non ineptum est suspicari, Ciceronem exorsum ab eo divino prodigio, quod litaturae post sacrificium Terentiae uxori Consulatum mariti portendisset, [3]) finxisse se a Jove ipso in deorum concilium advocatum; [4]) in quem divinum coetum admissus, qui considebat in Olympo, exaudivit a patre Deorum et hominum, quae essent brevi tempore eventura, quasque rationes oporteret iniri; [5]) accepit ab Urania, quibus

---

inchoavit: quibus auditis, quod mihi magna res et jucunda visa est, hunc ad perficiendum hortatus sum. — c. 12. *Archias his recentibus nostris vestrisque domesticis periculis aeternum se testimonium laudum daturum esse profitetur.* Cf. Ilgen. op. l. p. 14. 1) Ad *Fam.* V. 12. 2) Ad *Att.* I. 19, 20. II. 1. 3) Servius ad Virg. Ecl. VIII. v. 106. *Uxori Ciceronis dicitur contigisse, cum peracto sacrificio libare vellet in cinerem, ut ex ipso cinere flamma surgeret, quae flamma eodem anno consulem futurum ostendit ejus maritum, sicut Cicero in suo testatur poemate.* 4) Quinctil. *Ins. Or.* l. XI. c. 1. Cf. Spalding ad h. l. 5) Ep. ad Quint. fr. l. II. c. 9. ubi scribit: *quod me admones de nostra Urania, suadesque ut meminerim Jovis orationem, quae est in extremo illo libro: ego vero memini, et illa omnia mihi magis scripsi, quam ceteris.*

illa prodigiis nunciarentur, [1]) admonitusque a Minerva est, quae eum omnes artes edocuisset, [2]) ut earum fructus ad summam civium salutem conferret. Haec si fuerit duorum priorum librorum summa, in tertio fortasse Calliopen induxit, laudibus res suas gestas ornantem, vitaeque cursum ipsi talem exoptantem, qualis laudatissimum consularem unice deceret. [3]) Hoc igitur heroicum carmen tripartitum fuit, et ad Graecorum exemplum compositum. [4])

Sunt, qui hos *de Consulatu* libros, quos scripsit Cicero biennio, postquam gesserat magistratum, confundant cum libris *de Temporibus suis*, manifeste post reditum ab exsilio conscriptis. [5]) In quem errorem cavendum ne incidamus. Cum enim L. Lucceio significasset, malle se ab alio laudari, quam

---

1) *De Divin.* I. c. 11. ubi Quintus: *tuos edidici etiam versus, et libenter quidem, quos in secundo de Consulatu Urania Musa pronunciat.* 2) Quinct. l. l. 3) Ep. ad *Att.* II. 3. *Me καταπλήξ meâ illa commovet, quae est in libro tertio:*

Interea cursus, quos prima a parte juventae
Quosque adeo consul virtute animoque petisti,
Hos retine atque auge famam laudesque bonorum.

Haec mihi in eo libro, in quo multa sunt scripta ἀριστοκρατικῶς, Calliope ipsa praescripsit. 4) Ad *Att.* l. I. 19. Quinct. l. l. Cff. A. Patricius ad *Fragm. Cic.* p. 179. sqq. Nobbius, Ed. Orell. t. IV. p. 567. Middleton, t. I. p. 235. 5) In hac sententia sunt Fabric. *Bib. Lat.* t. I. p. 136. Tunstallus Ep. ad Middlet. p. 120 sqq. Spalding ad Quinct. l. l. Middleton l. l. Orellius Ed. t. IV. p. 567. Ersch. *Encyc.* XVII. p. 240. Contrariam tuentur Patricius l. l. Manutius ad *Ep. ad Fam.* l. I. 9.

suarum ipsum laudum praeconem esse, 1) fortasse spe destitutus, ut ab eo aliquando celebraretur, ipse *eam*, quam vocabat, *fabulam rerum eventorumque suorum, quae varios actus haberet, multasque actiones et consiliorum et temporum*, 2) describendam suscepit. Hoc igitur opere de exsilio suo et glorioso reditu exposuit. Nam sic scribit ad Lentulum: 3) » Quod rogas, ut mea tibi scripta mittam, quae post discessum tuum scripserim: sunt orationes quaedam: — scripsi etiam versibus tres libros de temporibus meis, quos jam pridem ad te misissem, si esse edendos putassem: — sunt enim testes et erunt sempiterni meritorum erga me tuorum meaeque pietatis: — sed quia verebar, non eos, qui se laesos arbitrarentur, (etenim id feci parce et molliter) sed eos, quos erat infinitum bene de me meritos omnes nominare." Iisdem de rebus composuit etiam quaedam Graecis versibus, ut patet ex Epistola ad Quintum: 4) » Quomodonam, mi frater, de nostris versibus Caesar? Nam primum librum se legisse scripsit ad me ante: et prima sic, ut neget se ne Graeca quidem meliora legisse. Re-

1) Ad *Fam.* V. 12. 2) *Eod.* l. 3) Ep. ad *Fam.* I. 9. Acute observavit Patricius, Ciceronem hac epistola significare, *post discessum Lentuli* se libros illos scripsisse, indeque effici, cum Lentulus post Afranii et Metelli consulatum anno demum quarto in Ciliciam profectus sit, libros de consulatu multo ante fuisse perfectos, quam libri de temporibus inchoati fuerint. V. Patric. p. 184. 4) L. II. Ep. 16.

liqua ad quendam locum ῥᾳθυμότερα. Hoc enim nititur verbo. Dic mihi verum, num aut res eum aut χαρακτὴρ non delectat?"

Cicero, inclinato jam ad Caesarem animo, hujus res gestas canere meditabatur. Quod ut ageret, saepe a Quinto fratre sollicitatus, crebro quidem recusavit, quod ad eam rem incalescere non posset, [1]) subinde etiam, quae composuerat, rescidit, [2]) tandem vero, quamvis non satis alacri animo ductus, heroicum carmen in expeditionem Brittannicam confecit. [3])

Mentio item fit carminis elegiaci, cujus hos versiculos servavit Servius, [4])

Jam mare Tyrrhenum longe penitusque palumbes
Relliquit.

De argumento autem non magis quam de tituli ratione constat. Mira inscriptionis varietas varias virorum doctorum conjecturas excitavit. [5]) Vulgo inscribi carmen solet *Tamelastis*, aliter *Temelastis:* ad cujus posterioris scripturae similitudinem suspi-

---

1) Ad Quintum l. II. Ep. 15, 16. III. 4, 5, 6. 2) L. III. Ep. 1. 3) L. III. Ep. 8. *Quod me institutum ad Caesarem poema jubes perficere; etsi distentus cum opera, tum animo sum multo magis, tamen quoniam cognovit Caesar, me aliquid esse exorsum, revertar ad institutum, idque perficiam.* — Epist. 9. *Quod me hortaris, ut absolvam: habeo absolutum suave, mihi quidem uti videtur,* ἔπος *ad Caesarem.* Cf. Middleton t. I. p. 401. 4) Ad Virg. Ecl. I. v. 58. 5) Cf. Nobbius *ad Fragm. Cic.* Ed. Orell. p. 570. Orellius ad Notas.

catus sum inscribendam esse elegiam: *Tempestas.* Nam quod Plinius, qui in studiis, in primis in poesi, Ciceronis se aemulatorem ubivis praedicat, ejusque non seria modo, sed etiam lusûs expressit, in Epistola quadam 1) scribit, se in insula ventis detentum, Latinos elegos in illud ipsum mare ipsamque insulam fecisse, videbatur mihi ad carminis Ciceroniani respicere imitationem. Quamquam haec conjectura non satis idoneo argumento nititur.

Tandem Ciceronis memoratur quidam *libellus jocularis*, quo videtur complexus Epigrammata, quae sibi ligata oratione excidissent, velut illud in Varronis fundum:

Fundum Varro vocat, quem possim mittere funda,
Ni tamen exciderit, qua cava funda patet. 2)

Et illud in Caninium Rebilum:

Vigilantem habemus consulem Caninium,
In consulatu somnum non vidit suo. 3)

Item aliud in Tironem, quod suis verbis refert Plinius. 4)

Exposuimus rationem, qua juvenili aetate Cicero in legendis imitandisque antiquis Graecis et Latinis

---

1) L. VII. 4. 2) Quinct. *Inst. Orat.* l. VIII. c. ult. ubi vid. Pseudo-Turnebus. Cff. Patricius ad *Fragm. Cic.* p. 186. Franc. Vavassor lib. de Epigr. c. 21. Vossius in Etymol. v. *Fundus.* Nobbius ad *Fragm. Cic.* Ed. Orell. t. IV. p. 571. 3) Anthol. Burmanni t. I. p. 307. 4) *Ep.* l. VII. Ep. 4.

scriptoribus versatus est. Fusius etiam poesin ejus ingeniique in hac arte monumenta lustravimus, quod non solum ab ea vitae curriculum est exorsus, verum etiam ingenti studio ad parandam sibi ejus facultatem elaboravit. Dicitur enim, modo fides habenda sit narrationi, metro quoties animum appulisset, non pauciores *quingentis versibus* per singulas noctes componere solitus. [1]) Quare, anteaquam ad alia pergamus, videmur nobis operae pretium facturi, si breviter judicia doctissimorum virorum de Ciceroniana poesi enarremus. Major enim ille vir fuit, quam ut ejus in aliqua literarum aut doctrinae parte posita industria negligatur.

Ipsius quidem aetate quo pretio habita sint varia ejus carmina, novimus ex Plutarcho. [2]) Ἐῤῥύη πως προθυμότερον ἐπὶ ποιητικήν — προϊὼν δὲ τῷ χρόνῳ, καὶ ποικιλώτερον ἁπτόμενος περὶ ταῦτα Μούσης, ἔδοξεν οὐ μόνον ῥήτωρ ἀλλὰ καὶ ποιητὴς ἄριστος εἶναι Ῥωμαίων. Quod autem Attico valde poemata ejus placuerunt aliique ea magnam partem memoriae mandarunt, quodque Quintus Cicero fratris sui nonnunquam auxilia in scribendis versibus flagitavit, amicitiae fortasse horum virorum adscribendum est: placuerunt vero etiam Caesari partim, et Scaevola, ut diximus, cecinit de *Mario:*

Canescet saeclis innumerabilibus. 3)

---

1) L. Aretinus in *Cicerone novo* c. 59. Cf. c. 5. 2) *Vita Cic.* c. 2. 3) Supra p. 46. Cf. Patricius ad *Fragm. Cic.* p. 172.

Augusteo vero aevo ac deinde contemta jacuit ejus poesis. Qua de re audiatur Quinctilianus: 1) *Quem enim*, inquit, *et suorum hominum temporum incessere audebant ut tumidiorem et Asianum, et redundantem, et in repetitionibus nimium, et in salibus aliquando frigidum, et in compositione fractum, exsultantem ac paene (quod procul absit) viro molliorem, eundem postea quam triumvirali proscriptione consumtus est, passim qui oderant, qui invidebant, qui aemulabantur, adulatores etiam praesentis potentiae, non responsurum invaserunt.* Unde satis liquet, assentatores Augusti, et poetas et scriptores, invidiâ tanti nominis verâ aut simulatâ, obtrectasse Ciceronis laudibus. Videmus igitur, exceptis paucis, plerosque communi judicio improbasse ejus poesin. Quod significavit L. Annaeus Seneca. 2) *Non aequis quendam oculis vidisti, quia de ingenio tuo male locutus est. Recipis hanc legem? Ergo te Ennius, quo non delectaris, odisset: et Hortensius simultates tibi indiceret: et Cicero, si deridcres ejus carmina, inimicus esset.* Et Seneca Rhetor: 3) *Ciceronem eloquentia sua in carminibus destituit.* Eadem sententia est Auctoris dialogi *de Oratoribus*, 4) qui, *Caesar*, inquit, *et Brutus fecerunt etiam carmina et in Bibliothecas retulerunt, non melius quam Cicero, at felicius*,

1) L. XII. 10. Cf. Spalding. 2) *De Ira* l. III. c. 37. Cf. Epist. 107. fine. 3) *Declam.* l. III. p. 248. 4) c. 22.

quia illos fecisse pauciores sciunt. Deinde Martialis; 1)

Carmina quod scribis, Musis et Apolline nullo,
Laudari debes, hoc Ciceronis habes.

Et Juvenalis: 2)

O fortunatam natam, me Consule, Romam!
Antoni gladios potuit contemnere, si sic
Omnia scripsisset. Ridenda poemata malo,
Quam te conspicuae, divina Philippica, formae,
Volveris a prima quae proxima.

Neque aliter existimatum esse sua aetate Plutarchus indicat: 3) Ἡ μὲν οὖν ἐπὶ τῇ ῥητορικῇ δόξα μέχρι νῦν διαμένει, καίπερ οὐ μικρᾶς γεγενημένης περὶ τοὺς λόγους καινοτομίας· τὴν δὲ ποιητικὴν αὐτοῦ, πολλῶν εὐφυῶν ἐπιγενομένων, παντάπασιν ἀκλεῆ καὶ ἄτιμον ἐᾶσθαι συμβέβηκε. Quinctiliani autem verba, quibus de poesi Ciceronis loquitur, vulgo non satis accurate percipiuntur. Nam ubi dicit: 4) *Plerumque Cicero contra inimicos atque obtrectatores plus vindicat sibi. Erant enim tuenda, cum objicerentur. In carminibus utinam pepercisset, quae non desierunt carpere maligni,*

Cedant arma togae, concedat laurea linguae. —

non profecto significat dolorem suum, quod Cicero se poesi commiserit, quod ne illa quidem lectio,

1) *Epigr.* l. II. Ep. 89. 2) *Satir.* X. v. 122. sqq. 3) l. l. 4) *Inst. Orat.* l. XI. c. 1. Cf. Spalding.

quae praeferri solet: *carminibus utinam pepercisset*, potest significare. Id enim vult Quinctilianus: utinam Cicero in carminibus de Consulatu et de Temporibus suis pepercisset plus sibi vindicare, quae propterea non desierunt carpere maligni. — Eum autem ipsum magnifice sensisse de poetica Ciceronis, patet ex disciplinae ratione, qua alumnum suum Plinium Juniorem informavit; qui ab ineunte aetate ad poesin se applicans, Ciceronis potissimum aemulandi amorem suscepit, eumque sibi exemplum proposuit. [1])

Haec in veterum monimentis de Ciceronis poesi testimonia exstant. Habuere illi sane, quia integra ad suam aetatem ac salva pervenerunt Ciceronis opera, summam recte de ea sentiendi facultatem, libertatem vero judicandi vel communia tempora occuparunt, vel exemit depravatus elegantiae sensus. Nostra autem libera inquirendi veri studia facultas destituit, quoniam ex tanto naufragio tam paucae tabulae aetatem tulerunt. Ut vero has ipsas aestimare reliquias licet, ita ex his totam viri poesin dijudicare, nec licet, nec videtur liberale esse. Fuerunt etiam recentiore aevo, qui ex praejudicata quadam opinione existimarent, poeseos et eloquentiae virtutes in unum cadere ingenium non posse, neque, si quem natura ad alterutrius artis summam gloriam finxisset, ex praeclara quadam ingenii va-

1) *Epist.* l. IV. 8. V. 3. VII. 4.

rietate eundem in altera arte posse excellere. Iccirco Petrarcha, ea, ut videtur, opinione imbutus, adhaesit Senecae Rhetoris sententiae, dicens: 1) *Virgilium illa felicitas ingenii oratione soluta reliquit, Ciceronem eloquentia sua in carminibus destituit.* Alii compararunt eum cum Virgilio, Horatio, Ovidio, non reputantes, Ciceronis fuisse, ex rudi magnam partem indigestaque mole puram illam venustamque linguam formare, quae posset aliorum operâ ad quaevis poeseos et literarum genera adhiberi. Non habuit ejus ingenium, quo ex aequalium concertatione vires novas et alacritatem nanciscetur, neque etiam poeticae facultati eo tempore tantus honos, quantus Horatii Virgiliique aetate, tribuebatur. Quae considerantes, improbamus Montanii judicium, 2) quod ita tulit, quasi deperditorum carminum, non, quasi servatarum partium arbiter esset: laudamus vero Voltarii, in arte sua aptissimi judicis, sententiam, qui, Ciceronem ex ipsis poeseos reliquiis aestimare satagens, non dubitavit ei locum inter optimos *sui aevi* poetas vindicare. Judicium id ille suum convertendo ex epico carmine loco studuit confirmare. 3)

---

1) *Epist. De Rebus Fam.* l. V. Ep. 9. 2) Montaigne *Essais* l. II. p. 352. *Je ne sais, comment excuser Cicéron d'avoir estimé sa poésie digne d'être mise en lumière: ce n'est pas grande imperfection que de mal faire des vers, mais c'est imperfection de n'avoir pas senti combien ils étaient indignes de la gloire de son nom.* 3) In Praef. ad Trag. *Rome sauvée* p. 286. *Cicéron était un des pre-*

Non negligenda haec posteritatis judicia videbantur, quo Ciceroni in colenda poesi suus haberetur honos. Placuit ei ab ineunte aetate huic studio operam navare, et sic illud semper conjunxit cum

---

miers poëtes d'un siècle où la belle poésie commençait à naître. Il balançait la réputation de Lucrèce. Y a-t-il rien de plus beau que ces vers qui nous sont restés de son poëme sur Marius, et qui font tant regretter la perte de cet ouvrage? Je suis de plus en plus persuadé que notre langue est impuissante à rendre l'harmonieuse énergie des vers latins comme des vers grecs; mais j'oserai donner une légère esquisse de ce petit tableau. Pour peu qu'on ait la moindre étincelle de goût, on apercevra dans la faiblesse de cette copie la force du pinceau de l'original.

Tel on voit cet oiseau, qui porte le tonnerre,
Blessé par un serpent élancé de la terre;
Il s'envole, il entraîne au séjour azuré
L'ennemi tortueux dont il est entouré.
Le sang tombe des airs. Il déchire, il dévore
Le reptile acharné qui le combat encore;
Il le perce, il le tient sous ses ongles vainqueurs;
Par cent coups redoublés il venge ses douleurs.
Le monstre en expirant se débat, se replie;
Il exhale en poisons les restes de sa vie;
Et l'aigle tout sanglant, fier et victorieux,
Le rejette en fureur, et plane au haut des cieux.

Cff. de Cic. poesi Gyraldus *Dial. de poet.* IV. p. 199. A. Schottus. *Tull. Quaest.* I. 28. *Cic. a calumniis vindic.* c. 10. Tiraboschi. Storia P. III. L. III. c. 9. Corradus p. 246. Fuhrmann op. cit. t. II. p. 61. Ersch *Encyc.* t. XVII. p. 240. Biogr. Univ. t. VIII. v. *Cicéron* p. 531 (Villemain). Middleton II. p. 408. J. Ferrerius. *Cic. Poeta.* Paris. 1540. Jugler *De poesi Cic.* Lips. 1744. Baden *De Poet. fac. Ciceronis.* Hauniae 1789. (Opusc. Lat. XXIII. 1804). Frantzen *De Cic. poeta.* Abo. 1800. Praeter Badeni opusc. nullam ex his Dissert. inspicere mihi licuit. V. Funccius op. c. c. 4. p. 272.

ceteris artibus, ut poeticis exercitationibus haud immerito dicatur plurimum ad eloquentiam adjutus esse. Neque tamen hujus artis exercitium, quominus in ceteris disciplinis diligenter versaretur, impedimento fuit. Monuimus, quantopere animo esset perturbatus, quum, explicante Latinam scholam Plotio, qui magnae eruditionis vir praedicabatur, ejus adeundi negaretur copia. Attamen istius rei molestiam praeclara institutio Archiae et vere paternus Crassi amor absterserat. Sed hujus quum plurimum consiliis confideret, eaque disceret, quae Crasso placerent, et ab his doctoribus, quibus ille uteretur amicis, erudiretur, subitâ morte Crassi et animus gravissime affligebatur, et retardabatur paulisper institutus cursus studiorum. Eodemque fere tempore Archias, a Lucullo invitatus, ut se in itineribus comitaretur, cessit hujus precibus ac diu in Sicilia abfuit 1). Quare Cicero sextum decimum aetatis annum attingens, sumtâ virili togâ, ut mos Romae erat 2), in forum prodire coepit, simulque a patre ad Q. Mucium Scaevolam augurem, socerum Crassi, et amicissimum ei virum, deducebatur. Hic plurimorum decursu honorum senectutis otium et prudentiam consecutus, optime docere adolescentem jus civile potuit, atque ita docendo memoriterque narrando sibi Ciceronem devinxit, ut is fateretur, se, quoad posset et lice-

1) Orat. p. Arch. c. 4. 2) Cf. Fabric. *Vita Cic.* § 27. 32.

ret, a senis latere nunquam discessisse, fierique studuisse ejus prudentiâ doctiorem 1). Ex multiplici igitur rerum forensium sciscitatione, ex clarissimorum virorum sermonibus, quos Scaevola jucunde narrare solebat, ea addiscebat, quae et cognoscendi aviditatem augere, et juris civilis ei commendare studium poterant. Praeterea fuerat hic Scaevola Panaetii auditor 2), e quo studio viri par est existimare, philosophiam ipsum jurisprudentiae adhibuisse: quae conjunctio disciplinarum ad formandam philosopham indolem, qualis Ciceronis erat, aptissima fuit. Cum tanta autem abertate disciplinae, quam Ciceroni quotidiani cum praeceptore suo sermones afferebant, cum assiduo legum institutorumque Romanorum meditatione et studio conjungebat diligentem fori usum, ubi, suadente Scaevola, multis magnisque causis interfuit, ad quas defendendas praeclari in civitate oratores accedebant. Nam praestantissimi quique vel in exsiliis aberant, vel, recens exstincti, lugebantur 3).

Haec autem studia, quae communia ei erant cum Attico et ceteris familiaribus, qui ad Scaevolam ventitare solebant 4), intercepit per anni spatium bellum Marsicum, in quo tiro fuit. Sed non ita in militiam incubuit, ut non posset simul aliquid

1) De Amic. c. 1. Plut. *Vita Cic* c. 3. 2) De Orat. I. 11. 17. 3) Brutus c. 88. 89. 4) De Legg. I. 4.

temporis juri civili dare. Nam ipse Mucius in castris quoque versabatur, quumque esset summa senectute ac perdita valetudine, quotidie, simul atque luceret, faciebat omnibus conveniendi sui potestatem 1). Hoc autem mortuo, alteri Scaevolae Pontifici in eodem studio plurimam operam navavit. Is et justitiâ praestantissimus vir, omniumque et disciplinâ juris civilis eruditissimus, et ingenio prudentiaque acutissimus, propinquo suo dicendi copia et subtilitate praestitit, ut eum Crassus juris peritorum eloquentissimum, eloquentium juris peritissimum appellaret 2). Ab hoc igitur non tantum in addiscendo jure civili, sed etiam in eloquentia, cujus alter laude caruerat, multum profecit; frequenter summos oratores audiens, acerrimo studio tenebatur, quotidieque et scribens et legens, et commentans, oratoriis tantum exercitationibus contentus non erat 3). Accedebat enim, quo eleganter venusteque dicendi et disputandi artem assequeretur, frequens cum acutissimis matronis puellisque confabulatio, ut cum Laelia 4), » cujus, inquit, auditus est nobis saepe sermo. Ergo illam patris Laelii elegantia tinctam vidimus, et filias ejus Mucias ambas, quarum sermo mihi fuit notus; et neptes Licinias, quas nos quidem am-

1) Orat. Phil. VIII. c. 10. XII. 11. Cf. Brutus 96. De Div. I. 33. De Orat. I. 45. Plut. l. l. Cff. Fabr. *Vita Cic.* l. l. Midd. I. p. 40. 2) De Amic. c. 1. De Orat. I. 39. Brutus c. 39. 40. 89. 3) Brutus c. 89. 4) Brutus c. 58.

bas, hanc vero Scipionis etiam tu, Brute, credo, aliquando audisti loquentem." Unde sic Crassum, quem studiose imitabatur, fecit loquentem [1]). » Equidem quum audio socrum meam Laeliam, (facilius enim mulieres incorruptam antiquitatem conservant, quod multorum sermonis expertes ea tenent semper, quae prima didicerunt) sed eam sic audio, ut Plautum mihi, aut Naevium videar audire. Sono ipso vocis ita recto et simplici est, ut nihil ostentationis aut imitationis afferre videatur." Legebat etiam epistolas Corneliae, matris Gracchorum, in quibus apparere dicit, filios non tam in gremio educatos, quam in sermone matris [2]).

Sed quod Crassus saepius commemorare consueverat, stilum optimum esse et praestantissimum dicendi effectorem et magistrum, id non fugiebat diligentem viri discipulum. Dicendi enim facultas Ciceroni tanquam pulverulentum longi stadii praemium erat proposita, ejusque comparandae caussâ quarumvis difficultatum non detrectabat molestiam, sed subibat, patienterque ferebat. Exemplo igitur Crassi legendo commentandoque se exercuit, verum, quae ille adjumenta dicendi adhibuerat, eadem quoque ipse adhibenda sibi arbitrabatur. Quocirca, referens Crassi institutionem juvenilem,

---

1) De Orat. III. 12. 2) Eod. l. Cf Midd I. p. 56. Epistolae Cornelianae fragmentum exstat, Corn. Nepotis Editt ca'ci adjectum, ubi v. Interpp.

videtur suam nobis viam rationemque ob oculos ponere voluisse [1]). » In quotidianis enim, ait, commentationibus equidem mihi adolescentulus proponere solebam illam exercitationem maxime, ut aut versibus propositis quam maxime gravibus, aut oratione aliqua lecta ad eum finem, quem memoriâ possem comprehendere, eam rem ipsam, quam legissem, verbis aliis quam maxime possem lectis, pronunciarem. Sed post animadverti, hoc esse in hoc vitii, quod ea verba, quae maxime cujusque rei propria, quaeque essent ornatissima atque optima, occupasset aut Ennius, si ad ejus versus me exercerem, aut Gracchus, si ejus orationem mihi forte proposuissem: ita, si iisdem verbis uterer, nihil prodesse; si aliis, etiam obesse, quum minus idoneis uti consuescerem. Postea mihi placuit, eoque sum usus adolescens, ut summorum oratorum Graecas orationes explicarem: quibus lectis, hoc assequebar, ut quum ea, quae legerem Graece, Latine redderem, non solum optimis verbis uterer et tamen usitatis, sed etiam exprimerem quaedam verba imitando, quae nova nostris essent, dummodo essent idonea."

Ex poeticis Ciceronis exercitationibus nonnulla supra attulimus: de oratoriis vero non possumus dijudicare, quod eas fere omnes notitiae nostrae aetas eripuit. Neque adeo, praeter Xenophontis

1) De Orat. I. c. 34. Fabr. *Vita Cic.* §. 30.

Oeconomici mentionem, diserte ipse, in quibus potissimum Graecis vertendis scriptoribus elaboraverit adolescens, memoriae mandavit. Platonem quidem nondum videtur cogitasse; neque enim philosophiam attigerat: sed Isocratem, Demetrium Phalereum, Dinarchum, in primisque Aeschinem et Demosthenem et legisse accurate et vertere studuisse putandus est. Ac video quidem dubitari, utrum Demosthenis atque Aeschinis orationes nobilissimas, inter se contrarias, juvenis converterit Latine, an aetate jam provectior 1). Sed negandum videtur, adolescentiae hoc ejus opus esse, quod satis e libro de *optimo genere Oratorum*, quem prooemii instar versioni suae praemisit, apparet. Dicit enim ibi, suscepisse se laborem, utilem studiosis, sibi quidem ipsi non necessarium; nec convertisse ut interpretem, sed ut oratorem. Quod si juventutis fuisset periculum, postea ab eo expolitum, ac limatum, non reticuisset, sed, ut fecit de Oeconomico Xenophonteo, memorasset rem, minime ea aetate indignam. Quidquid est, haec scribendi diligentia, haec assidua explicatio et tractatio Graecorum scriptorum,

1) Corradus p. 36. et 266. L. Aretinus *Epist.* l. VII. 4. Vertit is, certe vertisse se affirmavit utramque orationem. Sed fidem ei non habuerunt aequales, ut ex Epistola patet, suspicatique sunt, furatum eum a Cicerone versionem esse. Cum exstet illa versio, Basiliae typis expressa a. 1528. operae pretium esset, verum in re dubia exquirere. — Cf. Hieronymus *Epist. ad Pammachium* de Opt. Gen. Interp. p. 724. et Scholia ad h. l.

non solum ei praeclaram antiquitatis notionem, et Latini sermonis copiam et facultatem suppeditabant, sed valebant multo magis etiam ad gravissimum publice dicendi munus. Ad quod ut rite paratus instructusque accederet, et jam florescentem in foro Hortensium digne aemularetur, exercitationis gratiâ privatas causas suscepit. At vero, quum vocis et spiritus, et totius corporis et ipsius linguae motus et exercitationes laboris indigerent 1), nec parum interesse censeret, quos imitaretur, quorumque similis evaderet, intuebatur non solum oratores, sed etiam optimos comoediae et tragoediae actores, Roscium et Aesopum, ne malâ consuetudine ad aliquam deformitatem pravitatemque veniret 2).

Eodem tempore, quo Cicero variis artibus et literis operam navabat, Romam venerunt Phaedrus et Patro, qui cum Zenone Sidonio scholam Epicuream tuebantur. Athenis antea docendi munus exercuerant. Romam vero delati, a nobilissimis civibus et exceptí hospitio et eorum consuetudine usi sunt. Quamquam multum abfuisse credimus, ut eorum adventus Romae tanti sit habitus, quanti Archiae fuerat. Nam, quod exciperentur a principibus in civitate viris, communis hic iis cum ceteris Athenarum

1) De Orat. I. 34. 2) Plut. *Vita Cic.* c. 5. Quinct. l. XI. c. 3. Macrob. Saturn. l. II. 10. Val. Max. VIII. 7. De Orat. I. 28. Midd. I. p. 86. qui hanc disciplinam negat.

philosophis honor obtigit. At vero quum Archias narretur jucundus fuisse Metello, auditus a M. Aemilio, vixisse cum Q. Catulo, et patre et filio, a Crasso cultus esse, et devinctas consuetudine principum domos tenuisse: contra Epicureus Patro observabat Romae Memmium ceterosque ejus amicos, coluit in primis Ciceronem [1]; quo quidem significari puto, ipsius erga principes Romanos majorem, quam horum erga illum observantiam fuisse. Nec Romae domicilium perpetuum habuit; sed reversus Athenas postea non satis habuit auctoritatis, ut Memmio, qui ei bene cognitus fuerat, ipse, quod vellet, proponeret, verum Ciceronis commendatione uteretur [2]. De eo tamen et de Phaedro, quem primum philosophum Cicero audivit, nihil prorsus liquet, ut etiam a Plutarcho, ubi mentionem illorum exspectares, silentio praetermittantur. Quod quidem cur ita se habeat, facile intelligitur. Nam Epicurei philosophi, auctorem scholae suae singulariter venerantes, disciplinam ejus ut ab ipso acceperant, sic tradiderunt aliis, ipsis propemodum verbis, nulla amplificatione vel auctam vel commendatam. Quo fiebat, ut, semel explicatâ doctrinae Epicureae formulâ, nisi quis ingenio, aut eloquentiâ, aut aliis virtutibus Romam clarus veniret, vix celebraretur ejus adven-

1) Ep. ad Fam. l. XIII. 1. 2) Eod. l. Cf. Schlosser Op. l. t. II. p. 464.

tus. At vero Cicero, qui nunc primum ad philosophiam accedebat, Phaedri audiendi studiosus fuit, ex eoque percipere Epicuri placita cupiebat. Ac, sive ab illa philosophandi ratione adolescens non abhorreret, seu ipsius Phaedri ratio eum et oratio delectaret, confitetur, eum sibi, quum puer esset, valde ut philosophum, postea tamen, ut virum bonum et suavem et officiosum probatum esse [1].

Sed illis longe praecellens ac gratior Romanis Philo fuit. Qui quum res trepidas ac turbulentas in Graecia valde odisset, tanquam in portum Romam se cum Atheniensium optimatibus recepit. Erat vir eruditione clarus, quam studiis ac perpetua peregrinatione sibi comparaverat; tantâ autem facundiâ morumque se commendabat suavitate, ut unus exsisteret e Clitomachi discipulis, quem, teste Plutarcho [2], *μάλιστα Ῥωμαῖοι τῶν Κλειτομάχου συνήθων καὶ διὰ τὸν λόγον ἐθαύμασαν, καὶ διὰ τὸν τρόπον ἠγάπησαν.* Hunc igitur Cicero, quem *magnum virum* [3], et *principem Academiae* [4] vocat, non solum profugum benigne excepit, sed summe

---

1) Eod. l. Epist. ad Att. l. V. 11. XIII. 39. Ad Quint. Fr. I. 2. De Fin. V. 1. De Nat. D. I. 33. Cff. Jonsius, *de Script. hist. philos.* l. I. c. 20. 4. II. 18. 4. Krug *Gesch. der Philos.* Ed. II. p. 358. Ritter. *Gesch. der Phil.* t. III. p. 493 sqq. IV. p. 66. Wieland Op. l. p. 8. Middleton I. p. 43. Ersch *Encycl.* p. 227. 2) Vita Cic. c. 5. 3) Acad. l. 1. c. 4. 4) Brutus c. 89. De Orat. III. 28.

coluit et admiratus est. Itaque in Bruto studiorum suorum rationem referens, » totum me, inquit, Philoni tradidi, admirabili quodam ad philosophiam studio concitatus: in quo hoc etiam morabar attentius, quod etsi rerum ipsarum varietas et magnitudo summa me delectatione retinebat, tamen sublata jam esse in perpetuum ratio judiciorum videbatur [1])."

Sed praeter philosophiae studium bene dicendi artem Philo colebat. Qua quamvis praestitissent, qui ipsum Athenis in Academia praecesserant, clari philosophi, tamen cum disciplina sua non conjunxisse dicendi exercitationes videntur, veriti, ne in discipulis suis praeclara philosophiae studia eloquentiae amor aut frangeret aut dissiparet [2]). Philo vero, ubi Romam venit, viditque eloquentiam summo in honore et pretio esse, peculiarem huic studio operam navavit, instituitque alio tempore rhetorum praecepta tradere, alio philosophorum [3]). Ipsius autem dicentis ac docentis oratio distinguebatur versibus exquisitae elegantiae et delectus; namque et proprium eorum numerum et lecta poemata et suis singula disputationis locis subjiciebat [4]). Non igitur nobis mirum accidit, Philonem cum propter nominis celebritatem et humanitatem, tum propter orationis dotes atque elegantiam, advertisse ac tenuisse auditorum animos. Quibus satis mag-

1) Brutus l. l. 2) De Orat. l. c. 11. 3) Tusc. Quaest. l. II. c. 3. 4) Eod. l. c. 10.

nis et praeclaris praesidiis disputandi ratio accedebat, qua, Academicorum more, solebat ceterarum familiarum placita refutare; quae consuetudo videbatur futuris oratoribus una maxime idonea esse.

Verum ista omnia ut mirifice capiebant Ciceronem, aliud tamen ille ac longe praestantissimum in Philonis disciplina pariter ac doctrina attendere coepit, quod proprium huic privumque erat, et quo distinguebatur cum a ceteris philosophiae magistris, tum ab ipsius familiae Academicae philosophis. Erat autem illud Socraticae ac Platonicae philosophiae studium. Quod, age, accuratissime investigemus.

Philo enim Larissaeus, peragratis multis regionibus, quum literis praeparatus ad majores artes esset, Athenas adolescens se recepit. Hîc diligens auditor fuit Clitomachi Carthaginiensis, qui a Carneade institutus, ejus et disciplinam susceperat, et philosophiae placita consignare scriptis meditabatur. In quo opere quum plurimum versaretur, ac Philo accurate eum quotidie de Carneadea philosophia disserentem et Stoicorum placita impugnantem audiret, sponte sua magistri sententiam amplexus est, eoque mortuo eadem docere ac propugnare in Academia coepit. Quod cum studiose ageret, ecce! evenit, ut alio mente tota atque animo traduceretur. Numenius id Pythagoreus in libris de Platonicae scholae fatis conscripsit; e

quibus apud Eusebium [1]) haec sunt servata: Ὁ δὲ Φίλων ἄρα οὗτος ἄρτι μὲν ἐκδεξάμενος τὴν διατριβὴν (τοῦ Κλειτομάχου), ὑπὸ χαρμονῆς ἐξεπέπληκτο, καὶ χάριν ἀποδιδοὺς ἐθεράπευε, καὶ τὰ δεδογμένα τῷ Κλειτομάχῳ ἤυξε, καὶ τοῖς Στωϊκοῖς ἐκορύσσετο νώροπι χαλκῷ· ὡς δὲ προϊόντος μὲν τοῦ χρόνου, ἐξιτήλου δ' ὑπὸ συνηθείας οὔσης αὐτῶν τῆς ἐποχῆς, οὐδὲν μὲν κατὰ τὰ αὐτὰ ἑαυτῷ ἐνόει, ἡ δὲ τῶν παθημάτων αὐτὸν ἀνέστρεφεν ἐνάργειά τε καὶ ὁμολογία· πολλὴν δῆτ' ἔχων ἤδη τὴν διαίσθησιν, ὑπερεπεθύμει, εὖ οἶσθ' ὅτι, τῶν ἐλεγξόντων τυχεῖν, ἵνα μὴ ἐδόκει μετὰ νῶτα βαλὼν αὐτὸς ἐκὼν φεύγειν. Ex hoc loco, qui solus accurate docet, quae fuerit hoc tempore Academiae conditio, patere videtur, constanter Philonem Clitomachi etiam mortui adhaesisse doctrinae, quin etiam parum duxisse, integram eam tradere discipulis, sed invenisse plura, quae ad illam vel illustrandam vel amplificandam facerent. Post vero, quum incertae ipsum Academicae rationis taederet, fidemque sensibus majorem tribueret, a philoso-

1) Praep. Evang. l. XIV. c 9. Cf. Sext. Emp. Pyrrh. Hyp. l. I. c. 33. Init. Pet. Valentia. *Academica s. de judicio erga verum.* Lond. 1740. p. 85. sqq. Jonsius Op. l. l. II. c. 4. Fabr. *Bib. Gr.* t. III. p. 118 sqq. Brucker t. I. p. 774. Gautier de Sibert. *Exam. de la Phil. de Cic.* (Mém. de l'Acad. des Insc. et B. Lett. t. XLI. p. 466. 482). Wytt. *Praec. phil. log.* p. 94. *De Immort. Animi* p. 599. 638. *Bibl. Crit.* I. 3. p. 5. Goerenz. *Intr. in Cic. Acadd.* Krug Op. l. p. 350. Ritter Op. l. t. III. p. 692. IV. 66. 105. Wieland l. l. p. 10. Ersch. *Encycl.* l. l. p. 211. 227. Kühner, *Cic. in philos. merita.* p. 18. 36.

phandi via discessit, quam adhuc Clitomachi exemplo monituque secutus erat. Itaque, tanquam ex diuturno sopore evigilans, missamque faciens recentiorum Academicorum et curiosam subtilitatem et captiosas quaestiunculas, Platonis fere intermortuam philosophiam admirari propter simplicitatem ac praestantiam coepit. Sed quum in primis esset cavendum, ne ipse, princeps Academiae, videretur desciscere a veteri instituto, subitoque nova moliri, dissimulavit propositum suum, quamdiu Athenis erat, nec nisi cum paucissimis clam communicavit, quos sciebat ab illa dubitandi nihilque statuendi pertinacia paulatim remisisse. His igitur erat auctor, ut moverent suas dubitationes, ipsumque ad respondendum provocarent. Quos postea quam penitus traduxisset ad suam sententiam, invasissetque belli calamitas, cum his et cum optimatibus Atheniensium excessit Romam, ibique, signo sublato, Platonicum se professus est. Vidit hoc et egregie expressit Augustinus [1]): *Philo*, ait, *homo circumspectissimus, jam veluti aperire cedentibus hostibus portas coeperat, et ad Platonis auctoritatem Academiam legesque revocare.*

Nobis quidem haec omnia veterum fide accipientibus, probabilique ratione illustrare conantibus, pergratum jam porro foret, Philonianae doctrinae vim omnem et philosophandi rationem exponere.

1) Contra Acad. l. III. c. 18.

At vero temporum factum est injuriâ, ut doctrinae placita desideremus, lateatque nos, quid de singulis singulatim tradiderit; disciplina vero viri ad magnam et philosophiae antiquae et Ciceronianae institutionis illustrationem servata apud Stobaeum exstat 1). Quam lubenter hic totam apponemus.

Ac primum quidem hoc de Philone memorat Stobaeus; Φίλων ἐγένετο Λαρισσαῖος, φιλόσοφος Ἀκαδημικὸς, ἀκουστὴς Κλειτομάχου, τοῦ ἱκανὴν εἰσένεγκαμένου προκοπὴν ἐν τοῖς λόγοις. Οὗτος ὁ Φίλων τά τε ἄλλα πεπραγμάτευται δεξιῶς, καὶ διαίρεσιν τοῦ κατὰ φιλοσοφίαν λόγου, ἣν ἐγὼ προχειροῦμαι, περὶ ἧς ὁ λόγος 2). Ἐοικέναι δέ φησι τὸν φιλόσοφον ἰατρῷ. Καθάπερ οὖν ἔργον ἰατροῦ, πρῶτον μὲν πεῖσαι τὸν κάμνοντα παραδέξασθαι τὴν θεραπείαν· δεύτερον δὲ, τοὺς τῶν ἀντισυμβουλευόντων λόγους ὑφελέσθαι, οὕτως καὶ τοῦ φιλοσόφου. Κεῖται τοίνυν ἑκάτερον τούτων ἐν τῷ προσαγορευομένῳ προτρεπτικῷ λόγῳ, ἔστι γὰρ ὁ προτρεπτικὸς ὁ παρορμῶν ἐπὶ τὴν ἀρετήν. Τούτου δ' ὁ μὲν

1) J. Stobaei Eclogae Ethicae ed. Heer. t. II. P. I. l. II. p. 59. sqq. 2) Puto legendum: περὶ ἧς ὁ λόγος, ἣν ἐγὼ προχειροῦμαι. Sic enim nec redundare, ut visum est Heereno, qui uncis περὶ ἧς ὁ λόγος inclusit, et commodum sensum praebere videntur. Etenim, ut significat capitis inscriptio: Διαίρεσις ἠθικοῦ τόπου κατὰ τοὺς Ἀκαδημικούς, non voluit Stobaeus totius philosophiae Philonianae conspectum praebere, sed ethicam ipsius partem exponere. Pariter, ubi ad Eudorum philosophum p. 46 transit, Ἔστιν, inquit, Ἐνδώρου διαίρεσις τοῦ κατὰ φιλοσοφίαν λόγου, ἧς ἐγὼ διαιρέσεως ἐκθήσομαι τὸ τῆς ἠθικῆς οἰκεῖον. Itaque περὶ ἧς ὁ λόγος ethicam philosophiae partem significat.

ἐνδείμνυται τὸ μεγαλοφελὲς αὐτῆς, ὁ δὲ τοὺς ἀνασκευάζοντας ἢ κατηγοροῦντας, ἤ πως ἄλλως, κακοηθιζομένους (κακιζομένους de Heereni conj.) τὴν φιλοσοφίαν ἀπελέγχει. In hisce explicandis ut acu rem tangamus, primum comparationem ipsam illustrare ex Socratis Platonisque ratione opus erit, quo nobis deinceps ad cetera intelligenda facilior aditus pateat.

Quam simplex et nativa Socratis fuerit philosophandi ratio, comparandi maxime diligentiâ cernitur. Nam quum is, mittens cetera coelestia, ad vitam communem vellet adducere philosophiam: quo ipse munere fungeretur, quid esset multo labore iis, qui se audirent, consequendum, quaque via illud attingerent, accurate tradendum erat. Haec autem disciplina, quae pertinebat ad naturae humanae explorationem, in difficillimo disquisitionis genere versabatur. Quam ob causam non solum popularem dicendi consuetudinem sequebatur, verum etiam, quo singula ad vivum exprimeret, e rerum natura vulgarique vita imagines usurpabat. In his vero omnibus, quae sensibus paterent, et ad cujusvis hominis pertingerent cognitionem, nihil erat facile in disciplina Socratica ad comparationis usum corpore humano accommodatius. Namque ita sunt secum invicem comparata corpus et animus, ut nec divelli in mortali statu hominis, neque alterum alterius carere ministerio possit, utque ambo hominem efficiant. Inde fit, ut multa, quae

in animi natura subobscura ac recondita videantur, explicanda sint e corporis humani societate. Sed quum utriusque sint mala dissimillimae naturae, curationis quoque genus diversum utrique adhibendum est. Ad curandam igitur corporis valetudinem ars inventa est medica, ad curandum animum philosophia. Quod quidem jam quodammodo a vetustissimis philosophis Graeciae observatum fuit. Etenim hoc habebatur in Democriti sententiis, ἰατρικὴν μὲν σώματος νούσους ἀκεέσθαι, σοφιὰν δὲ ψυχὴν παθῶν ἀπαιρεέσθαι. Verum hujus brevis praecepti vim omnem ac rationem deinde de industria Socrates et Plato, adhibito diligentiori comparationis usu, ita amplificarunt et auxerunt, ut jam non amplius, quid docendo assequi vellent, obscurum esset, sed tota illorum disciplina quasi sponte in discipulorum oculos conspectumque veniret, atque, quo institueretur proposito, quaque ratione perficeretur, facile unicuique innotesceret. Exempla quidem hujus universae rationis quaerere, infinitum est; citius nos diligentia et animus, quam copia deficeret. Quapropter satis habemus, Plutarchum excitare, qui in quaestionibus Platonicis: οὐ γὰρ σώματος, ait, ἡ Σωκράτους ἰατρεία, ψυχῆς δὲ ἦν ὑπούλου καὶ διεφθαρμένης καθαρμός [1]).

Patet hinc, quo jure dicatur Philo Socraticus

1) Wytt. Bibl. Crit. Vol. III. P. I. p. 29; Cff. Patrii mei Initia Phil. Plat. Vol. I. p. 60 sqq.

fuisse, quum sic statueret, ἐοικέναι τὸν φιλόσοφον ἰατρῷ. Sed dispiciendum jam porro, quemadmodum in comparationis hujus usu constiterit sibi, ac Socratis expresserit rationem. Sic enim pergit: » quemadmodum medici est, primum persuadere aegroto, ut velit admittere curationem, deinde, eorum, qui contraria suadent, evertere argumenta, sic philosophi officium adhortatione continetur, qua quis ad virtutem instigatur. Hujus autem adhortationis ratio duplex; nam vel ostenditur maxima virtutis utilitas, vel coarguuntur ii, qui quoquo modo philosophiam aut labefactare, aut accusare, aut detrectare conantur." Cujus sententiae Philonianae, in ipso disciplinae ejus exordio obviae, quin Socrates habendus sit auctor, dubio vacat. Nam etsi fuerint, qui eum contenderent ingeniis alendis minus esse idoneum, tamen, qui naturae vim insitam ab eo excitatam negarent, inventus est nemo. Mirâ quippe valebat incitandi, τοῦ προτρέπεσθαι, facultate; qua quum praesertim apud adolescentes uteretur, aetate ipsa fervidos, amorem in iis virtutis, quam commendare solebat, excitabat vehementissimum [1]). Sed efficiebat idem, ut virtutem consequi amantes in ipsa via non deterrerentur laboribus. Quapropter docendi erant illi, quomodo morbis laborarent, ut pudore ingenuo suffusi indigentiam in animis experirentur ac me-

1) Initia. Vol. II. P. I. p. 64. 68.

lioribus studiis mutare deteriora vellent. Hoc vero ut plane erat Socraticum, ita alterum illud, quo Philo ajebat medici esse atque philosophi, eorum, qui contrariam suaderent curandi viam, evertere rationes atque impugnare, nescio equidem an non ex novae Academiae consuetudine servare voluerit. Hoc enim subsidio, quo vigebant plane Academici recentiores, maxime qui post Arcesilam exstiterunt, supersedebat Socratica disciplina; aliena erat a contentiosis sermonibus, atque odio τὴν ἐριστικὴν habebat. Etenim illa νουθετικὴ, qua secundum Platonem Socrates usus est, non eo referebatur, ut in instituendo philosophus discipulorum animum adversus aliorum tela armaret, sed eam adhibebat ipse, quo hostes philosophiae ad saniorem mentem traduceret, vel ut paternâ benivolentiâ ad officia delinquentes revocaret [1]). Verum Philo in magna

1) Cff. Initia Vol. II. P. I. p. 66. Pertinet huc locus e Politia, l. VI. p. 499. 500. Ὦ μακάριε, μὴ πάνυ οὕτω τῶν πολλῶν κατηγόρει· ἀλλοίαν τοι δόξαν ἕξουσιν, ἐὰν αὐτοῖς μὴ φιλονεικῶν, ἀλλὰ παραμυθούμενος καὶ ἀπολύμενος τὴν τῆς φιλομαθείας διαβολὴν ἐνδεικνύῃ, οὓς λέγεις τοὺς φιλοσόφους, καὶ διορίζῃ τήν τε φύσιν αὐτῶν καὶ τὴν ἐπιτήδευσιν, ἵνα μὴ ἡγῶνταί σε λέγειν οὓς αὐτοὶ οἴονται· ἢ οὐκ, ἐὰν οὕτω δοκῶνται, ἀλλοίαν τε φήσεις αὐτοὺς δόξαν λήψεσθαι καὶ ἄλλα ἀποκρινεῖσθαι; Hoc loco quomodo vindicetur Platoni forma dicendi οὕτω δοκῶσθαι, non video. Quare ratione habita eorum, quae praecedunt, μὴ φιλονεικῶν, ἀλλὰ παραμυθούμενος, in mentem venit legere: ἢ οὐκ, ἐὰν νουθετῶνται, vel οὕτω νου-

dissentientium philosophorum turba, quam ipsius aetas ferebat, aliam iniit rationem, cavendum putans, ne temere ii, qui e sua schola prodiissent, contendentibus secum manus darent, atque in aliorum sententia acquiescerent.

Verum ad aliam rationem, quam acceptam a Socrate et Platone servavit Philo, pergamus. Δεύτερος δὲ μετὰ τοῦτον ὁ πρὸς τὴν ἰατρικὴν ἀναλογίαν δευτέραν ἔχων τάξιν. Ὡς γὰρ ἰατροῦ, μετὰ τὸ πεῖσαι παραδέξασθαι τὴν θεραπείαν, τὸ προσάγειν ἐστὶν εἰς ταύτην τὰ μὲν τῷ προεκκομίσαι τὰ νοσοποιὰ τῶν αἰτιῶν, τὰ δὲ τῷ τὰ παρασκευαστικὰ τῆς ὑγιείας ἐνθεῖναι· οὕτως αὖ κἀπὶ τῆς ἐπιστήμης ἔχει. Μετὰ γὰρ τὰ προτρεπτικὰ πειρᾶται τὰ θεραπευτικὰ προσάγειν, ἐφ' ἃ (διὰ) τοῖς παρορμητικοῖς κέχρηται διμερῶς· τὸ μὲν γὰρ ὑπεξαιρετικὸν τῶν ψευδῶς γεγενημένων δοξῶν, δι' ἃς τὰ κριτήρια νοσοποιεῖται τῆς ψυχῆς, προσάγει λόγον· τὸ δὲ τῶν ὑγιῶς ἐχουσῶν ἐνθετικόν. Δεύτερος οὖν ὁ περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν τόπος, ἐφ' ὧν καὶ δι' ὧν ἡ προτροπή. Adumbravit his verbis Philo celebrem illam μαιευτικὴν, quae alio item nomine ἔλεγχος dicta, una cum νουθετικῇ secundum Platonem in Sophista τὴν παιδείαν constituit. Hanc usurpabat maxime Socrates in erudiendis hominum ingeniis, et gravissimam institutionis partem efficiebat. Tota autem ejus ratio ut apud Philonem, ita quo-

νουθετῶνται, quod quam facile similitudinis fraude in οὕτω θεῶνται potuerit abire, intelligitur. Cff. Phaedo 94. D. Pol. III. 399. B. VIII. 560. A. Phaedrus 249. D.

que apud illum ad corporis humani similitudinem erat comparata. Ferebat se lenonem animorum Socrates: quibus aegrotantibus medicinam afferre, opus suum habebat. Quemadmodum igitur medicus, si curare aegrotum velit, postquam persuasit ei, ut curationem admittat, hoc agit, ut pessima quaeque sordesque variae expellantur, ita philosophus quoque ea, quae quis ab ineunte aetate pravâ consuetudine pravisque praeceptis contraxit, mala tollere debet, ne amplius praestringatur his impedimentis mentis acies, sed ab iis in libertatem prorsus vindicetur. Νομίζοντες γὰρ, ut est apud Platonem [1], οἱ καθαίροντες, ὥσπερ οἱ περὶ τὰ σώματα ἰατροὶ νενομίκασι, μὴ πρότερον ἂν τῆς προσφερομένης τροφῆς ἀπολαύειν δύνασθαι σῶμα, πρὶν ἂν τὰ ἐμποδίζοντα ἐν ἑαυτῷ τις ἐκβάλῃ, ταυτὸν καὶ περὶ ψυχῆς διενοήθησαν ἐκεῖνοι· μὴ πρότερον αὐτὴν ἕξειν τῶν προσφερομένων μαθημάτων ὄνησιν, πρὶν ἂν ἐλέγχων τις τὸν ἐλεγχόμενον εἰς αἰσχύνην καταστήσας, τὰς τοῖς μαθήμασιν ἐμποδίους δόξας ἐξελὼν, καθαρὸν ἀποφήνῃ, καὶ ταῦτα ἡγούμενον, ἅπερ οἶδεν, εἰδέναι μόνα, πλείω δὲ μή. Sic igitur ex animo perpurgato ac libero jam continuo Socrates quaerendo comparandoque obstetricia sua arte virtutis omnis prudentiaeque, quae naturâ insunt homini, praeclara semina excitavit. Fiebat autem ita, ut veram vitam vivere incipientes, ad dignoscenda maxime ea, quae ami-

1) Soph. p. 230. C. D.

sissent, ab iis, quae nuper excitata essent jamque invaluissent, sponte sua pervenirent, gravissimoque illo notato discrimine, perciperent non solum, quo illa ad virtutem προτροπὴ spectasset, verum etiam in eo essent, ut uberrimos fructus in via virtutis carperent [1]).

Explicata hac καθάρσεως ratione, qua apud Philonem alter locus de bonis et malis continetur, atque a primo, qui de adhortatione fuerat, distinguitur, audiamus cetera, quae in fine posuit. Τῷ δὲ τρίτῳ πάλιν ὁ τρίτος (τόπος) ἀναλογήσει. Καὶ γὰρ τῇ ἰατρικῇ σπουδὴ πᾶσα περὶ τὸ τέλος, τοῦτο δ' ἦν ὑγιεία, καὶ τῇ φιλοσοφίᾳ περὶ τὴν εὐδαιμονίαν. Συνάπτεται δὲ τῷ περὶ τελῶν λόγῳ λόγος περὶ βίων. Ἔτι γάρ τε τῇ ἰατρικῇ οὐκ ἀρκεῖ τὴν ὑγιείαν ἐμποιῆσαι, χρεία δὲ καὶ τοῦ παρασχεῖν παραγγέλματα περὶ τῆς ὑγιείας, οἷς προσέχοντες τὸν νοῦν, τὴν εὐεξίαν τοῦ σώματος διαφυλάξουσι· καὶ δὴ κἀπὶ τοῦ βίου θεωρημάτων τινῶν ἐστι χρεία, δι' ὧν ἡ φυλακὴ γενήσεται τοῦ τέλους. Διττὸς δὲ καὶ ὁ περὶ βίων λόγος, ὁ μὲν ἴδιος, ὁ δὲ κοινός· ὧν τὸν μὲν ἴδιον ἐπισκοπεῖν δέον ἐστὶ τὰ πρὸς ἕκαστον, οἷον εἰ τῷ νοῦν ἔχοντι πολιτευτέον, ἢ ταῖς ἡγεμονικοῖς συμβιωτέον, ἢ γαμητέον τῇ σοφῇ; τὸν δὲ κοινὸν πρὸς ἅπαντας, οἷονεὶ τὸ, τίς ἀρίστη πολιτεία; εἰ κοινὰς ποιητέον τὰς ἀρχὰς ἢ τιμητάς; Τοῦτον δὲ τὸν κοινὸν προσαγορευτέον μὲν πολιτικὸν, τακτέον δὲ καθ' αὑτὸν, καίπερ ὄντα μέρος τοῦ περὶ βίων.

1) Cff. Initia. Vol. II. P. I. 52 sqq.

διά τε τὸ μέγεθος καὶ τὴν καινότητα. Εἰ μὲν οὖν ἐνεδέχετο πάντας εἶναι σοφοὺς, οὐκ ἂν ἔδεησε πλειόνων ἔτι τόπων· οἱ γὰρ κατὰ λεπτὸν διαιρούμενοι παραφυάδες εἰσὶ τῶν προκειμένων· ἐπεὶ δὲ καὶ τῶν μέσως διακειμένων ἀνθρώπων πρόνοιαν ποιητέον, οὕστινας ἐκ τῶν παραινετικῶν λόγων ὠφελεῖσθαι συμβαίνει, μὴ δυναμένους προσευκαιρεῖν τοῖς διεξοδικοῖς πλάτεσιν, ἢ διά τινας ἀναγκαίας ἀσχολίας, ἐπεισενεκτέον τὸν ὑποθετικὸν λόγον, δι' οὗ τὰς πρὸς τὴν ἀσφάλειαν καὶ τὴν ὀρθότητα τῆς ἑκάστου χρήσεως ὑποθήκας ἐν ἐπιτομαῖς ἕξουσι. — Hîc jam solvitur quaestio, quid spectandum sit philosopho, quoque omnis philosophia tanquam ad extremam calcem sit referenda. Quod quidem in medicina nemini dubium est, quin sit sanitas. Hujus enim causâ et curatio admittitur, et saepe gravissimi dolores molestiaeque superantur. Verum philosophiae quis sit finis ponendus, omni aevo disputatum est, maximosque illa disquisitio philosophorum dissensus excitavit. Philo vero, simplicem secutus philosophandi viam, quam ipsi Plato monstravit, comparandâ philosophiâ cum medicina intellexit, in tranquillo statu, qualem sanitas corporis refert, finem philosophiae quaerendum esse. Appellavit autem hunc statum, qui nullo molesto impetu, nullâ pravâ perturbatione everteretur, εὐδαιμονίαν, sive vitam beatam. Quam cave, ne vitam desidiosam, quae et ducente eam indigna, et hominum societati inutilis est, interpretere. Non enim Epicurea, sed Platonica cogitamus placita; et

quam recte illam aliter explicare studuerimus; ea, quae sequuntur, probabunt. Apud Platonem novimus, qua ratione Socrates in Phaedro pristinum animorum statum, depravationemque ac vicissitudines proposuerit: quod etsi poeticâ tum suavitate exhilararet argumentum, tamen verissimum fuit, quod et ibi memoravit et postea magis explicuit, per philosophiam reducendum hominem esse ad eam conditionem, quam turpiter amisisset, quaeque Dei similitudine contineretur. Vera autem Dei perfectio cum sapientiâ, tum vitâ beatâ cernitur. Censebat igitur Plato, eos, qui philosophiae operam navarent, non incerto consilio fluctuari oportere, ἀλλ' ἕνα σκοπὸν ἐν τῷ βίῳ ἔχειν, οὗ στοχαζομένους δεῖ ἅπαντα πράττειν ἃ ἂν πράττωσιν ἰδίᾳ τε καὶ δημοσίᾳ. Futurum enim, ut qui sincero amore prosequeretur φρόνησιν, quae una ceteris excellit virtutibus omnibus, eamque aliquando adeptus esset, gratissima ornaretur beatae vitae remuneratione, divini prorsus muneris ac beneficii honore.

Cum hoc vero philosophiae fine Philo connectit locum de vitis, sive de vitae generibus. Quemadmodum quis, inquit, recuperata sanitate contentus non erit, sed quaedam praecepta poscet, quibus eam tueri, corporisque firmam conservare valetudinem possit, ita in vita quoque praesidiis quibusdam opus est, quibus philosophiae vis stabiliatur. Jam vitae ratio duplex est, de qua agatur, privata et publica: de privata quaestio est ad singulos

pertinens cives; v. c. *an sit vivendum cum principibus? an prudenti gerenda sit respublica? an sapienti uxor ducenda?* De vita vero publica quaestio universa est omnium: v. c. *quae sit optima respublica? utrum communicandi sint cum omnibus magistratus, an pro censu conferendi?* Quae singulares quaestiones ut egregiam praebebant disputandi materiam, ita magnam partem occupatae jam fuisse videntur ab Academicis, non a Philone primum usu receptae, sed naturali quodam nexu cum comparatione, quam philosophiam inter et artem salutarem instituit, conjunctae. Publicae vero vitae quaestiones, quod latius paterent, seorsim tractavit, atque inde peculiaris quaedam disciplina, quae politica vel civilis diceretur, exstitit. Atque ista quidem omnia sufficere prudentioribus arbitrabatur; in usum vero vulgarem operae pretium ducebat, ea omnia, quae uberius explicuisset, breviter comprehendere, ut certam in singulis haberent praeceptisque distinctam disciplinam popularem.

Ad liquidum jam, ni fallor, philosophiae Philonianae rationem, quatenus eam ex illustri loco, qui superest apud Stobaeum, ab oblivione vindicare licet, perduximus. Quam, suis deinceps locis delineatam a nobis, universo jam conspectu comprehendamus. Philosophiam Philo, non, ut fecerunt ante eum Academici, in partes quasdam separatas dissecuit. Quae partitio ut frangit ejus

vim ac naturam, ita dignitatem magnopere minuit. Sed Socratico prorsus more naturam humanam exploravit, eique excolendae perficiendaeque adhibuit philosophiam. Quo factum, ut continuâ progressione cerneretur non solum, sed magis etiam comparationis lumine illustraretur. Triplex autem erat progrediendi ratio, quae ex rei natura deducebatur. Nam primum, quale esset *principium*, deinde quale *officium* s. *medium*, tandem, quis *finis philosophiae*, investigabatur. Principium in eo versatur, ut studium melioris conditionis in animo excitetur, quod duplici via peragitur, cohortando et coarguendo: officio respondet recta curandi ratio, quae liberando excitandoque procedit: finem autem philosophiae recta animi valetudo s. beata vita refert. Hoc quidem sextuplici procedendi modo munus philosophiae continetur secundum Philonem 1). In qua expositione rerum admiramur ejus ingenium, quod multos annos illiberali doctrina nutritum, cum se ipsum vindicaret in libertatem, tum ad germanae philosophiae studia instauranda valeret. Quodsi frustra apud eum sublimes illos locos quaeras, quibus commendatur Platonica philosophia, maxime disciplinam de ideis, non miremur. Namque, ut hanc quidem perpauci omni aetate fuere, qui recte intelligerent omnemque ejus sublimitatem assequerentur, ita plurimum eo praestitit Philo,

1) Cf. Brucker, t. I. p. 773. sqq.

quod philosophiam a vili patuloque orbe, circa quem philosophi morabantur, avocaret, ad vitaeque usum, a quo illi longissime recesserant, denuo accommodaret. Sic enim tota philosophandi ejus ratio hominem ejusque naturam spectabat, ut in educando instituendoque eo unice immoraretur.

Ceterum haec, quae laudavimus, pertinent ad partem philosophiae, quae moribus continetur: cui quemadmodum Philo physicam et dialecticam accommodaverit, non patet e Stobaei loco. Illud inde intelligitur, praecipuo quodam honore Socraticum hunc philosophum ethicam habuisse, et explicare omnium studiosissime consuevisse.

Haec quidem de Philonis philosophia fusius a me disputata videantur. In quibus nec brevior esse potui, et, si longiorem effecerint moram, Ciceronis gratiâ excusentur. In hunc enim prae ceteris Romanis disciplinae hujus fructus redundarunt, quos incorruptus naturae sensus avide excipiebat. Audiverat Phaedrum Cicero, ejusque delectatus disputationibus erat. Nec adeo mirum: in rem enim novam, quae cogitando maxime meditandoque perficiebatur, incidebat. Atque, ubi semel rationes illas Phaedri perceperat, ut facilitate doctrinae Epicureae captus fuerat, ita ejusdem adhuc illecebris veri ignorantiâ tenebatur. Fuisset igitur maximopere verendum, nisi miliora discere coepisset, ne desedisset inertiâ, inque republica nullus exstitisset. Opportune igitur et quasi coe-

Itus adfuit ei Philo, cui cum Epicureis, ut antea cum Stoicis, acerrima pugna erat. Quod significat ipse 1): » Nam Philo noster, inquit, ferre non poterat, aspernari Epicureos molles et delicatas voluptates; summâ enim memoriâ pronuntiabat plurimas Epicuri sententias his ipsis verbis, quibus erant scriptae; Metrodori vero, qui est Epicuri collega sapientiae, multa impudentiora recitabat." Sic quum redargueret Epicureos, id agentes, ut placita Epicuri obscoeniora de voluptatibus fucarent quodammodo ac commendarent, credibile est, praecipuum ei fuisse, simul atque accepit Ciceronem in disciplinam, cavere ne inveterascerent in ejus animo perniciosae illae sententiae, quibus radices agentibus, omnis sua opera ac diligentia irrita esset futura. Adhibuit ipsi medicinam, e Socratico fonte petitam, oppletumque falsis opinionibus animum purgare ac liberare studuit. Quo facto, excitabantur sponte, quae oppressa fuerant, generosa studia. Nam praestans ejus natura ubi in libertatem erat vindicata, admonitione tantum opus erat, ut, incredibili veritatis amore incenderetur, optima quaeque vellet, ac praeceptorem non minore quam scientiam ipsam studio coleret.

Huic igitur velut novae vitae auctori totum se tradidit Cicero, incredibili quodam ad philosophiam amore concitatus. Platonis ei scripta innotuerunt,

1) De Nat. Deorum, l. I. c. 4o.

ad quae legenda et interpretanda non minus ipsius eum studium, et alacritas animi, quam magistri consilia adjuvabant. Legebat et commentabatur eum, tempusque, quod tractandis reliquis scriptoribus et oratoribus Graecis ante consumserat, utiliter transactum sibi putabat, quod et celerius arripere, et intelligere praeclarius pleniusque sentire summi viri in scribendo cogitandoque dotes admirabiles posset. Neque mirum, vertendi eum exercitationibus sedulam denuo operam dedisse, quibus hoc sperabat se consecuturum, ut tam ad philosophiae interiorem cognitionem, quam ad percipiendam Atticae dictionis copiam, ubertatem, elegantiamque citius proficeret. Superest versionis memoria, *Protagorae* Platonis, quae legebatur Prisciani ac Donati aetate, nunc vero praeter pauca fragmenta tota interiit [1]). Nec dubium est, quin alios dialogos hac aetate verterit, qui editi ab eo nunquam fuerunt. Quin etiam ceteros Socraticos legebat et interpretabatur

1) Priscianus, l. V. c. 12. VI. 11. VIII. 7. Donatus, in *Terent. Phorm.* Act. IV. Sc. III. v. 6. Hieronymus, *Epist. ad Pammach.* p. 724. *Praef. in Pentateuchum*, p. 744. *Epist. ad Suniam et Fretellam*, p. 815. L. Aretini *Epist.* l. I. 13 VII. 4. Corradus, p. 254. — Quinct. *Inst. Orat.* l. X. c. 5. *Cicero libros Platonis atque Xenophontis edidit hoc genere translatos.* Cf. Ruhnk. *Praef. ad Rutilium Lupum*, (Opusc. t. I. p. 300). — P. Victorius, *Var. Lect.* l. I. c. 17. l. XIX. c. 9. Sigonii, *Scholia in Fragm. Cic.* p. 55. A. Patricius, *ad Fragm. Cic.* p. 30. 130. Fabr. *Vita Cic.* § 45. Nobbius, *ad Fragm. Cic.* Ed. Orell. t. IV. p. 477.

Latine [1]), et Xenophontis Oeconomicum, unum et viginti annos natus, Latinum fecit [2]). Eodem fere tempore Moloni Rhodio, Romam delato, operam dedit, qui et actor summus causarum et magister ab eo vocatur [3]).

In doctissimis porro ac principibus hominibus, quibus semper domus ejus floruit, et a quibus se institutum esse fatetur, Diodotus Stoicus fuit. Qui, origine Graecus, ubi Romam venit, maxime inclaruit, teste Cicerone in Bruto, ubi hunc refert studiorum suorum cursum. » Ego, ait, hoc tempore omni, noctes et dies, in omnium doctrinarum meditatione versabar. Eram cum Stoico Diodoto: qui cum habitavisset apud me mecumque vixisset, nuper [4]) est domi meae mortuus. A quo cum in aliis rebus, tum studiosissime in dialectica exercebar; quae quasi contracta et adstricta eloquentia est. Huic ego doctori, et ejus artibus variis atque multis ita eram ego deditus, ut ab exercitationibus oratoriis nullus dies vacuus esset. Commentabar declamitans saepe cum M. Pisone et cum Q. Pompejo, aut cum aliquo quotidie, idque faciebam multum etiam Latine, sed Graece saepius: vel quod Graeca oratio plura ornamenta suppeditans, consuetudinem similiter Latine dicendi afferebat, vel quod a Graecis summis doctoribus, nisi Grae-

1) De Inv. l. I. c. 31. 2) Supra p. 41. 3) Brutus c. 89. 4) U. C. 695.

ce dicerem, neque corrigi possem, neque doceri [1]." Alio item loco: » Diodoto quid faciam Stoico? quem a puero audivi? qui mecum vivit tot annos? qui habitat apud me? quem et admiror et diligo [2]?" Rursus de varia ejus doctrina: » Diodotus Stoicus caecus multos annos nostrae domi vixit. Is vero, quod credibile vix esset, quum in philosophia multo etiam magis assidue, quam antea, versaretur, et quum fidibus Pythagoreorum more uteretur, quumque ei libri noctes et dies legerentur, quibus in studiis oculis non egebat: tum, quod sine oculis fieri posse vix videtur, geometriae manus tuebatur, verbis praecipiens discentibus, unde, quo, quamque lineam scriberent [3]."

Excultus igitur fuit ab hoc praeceptore suo in musicis, in geometricis, in dialectica, universeque in philosophia Stoica. Quibus tamen rebus permultis et magnis quamvis quotidiana quoque accederet declamandi consuetudo, ut fere vacui temporis, neque ad alia obeunda negotia, neque ad reficiendum animum, vix quidquam relictum videretur, tamen ad scribendum simul se applicuit, et libros rhetoricos instituit componere [4]. Quos

---

1) Brutо c. 90. 2) Acad. l. II. c. 36. 3) Tusc. V. 39. Cff. Tacitus, *Dial. de Orat.* c. 30. Fabric. *Vita Cic.* § 44. Corradus, p. 30. Wieland, Op. l. p. 11. Ersch. *Encycl.*, t. XVII. p. 212. 227. t. XXV. p. 295. 4) De Orat. I. c. 2. Corradus, p. 255. Schutzius, *Prolegg. ad libr. Rhet. Cic.*

nobis legentibus et egregia auctoris eruditio et stili exercitatio probatur. Nam praeter alia exempla Graecorum, quibus in scribendo usus est, Aristotelis de eloquentia praecepta diligenter et cum delectu judicioque adhibuit 1). De quibus libris haec jam dicta sint: plura, quae ad rectam illorum aestimationem facere possint, deinde commemorabimus.

Interea vero laetior reipublicae videbatur conditio futura. Mutasse animum Sulla dictator, et amicior factus Romanis credebatur. Sublata ratio judiciorum, quae causa fuerat, ut attentius Cicero totusque in philosophiae studio commoraretur, in veterem ordinem redierat; leges et instituta vindicabantur; verbo, recuperatam esse rempublicam omnes boni arbitrabantur ac gaudebant. Quo tempore, quum induciae cum Mithridate factae essent, iterum Romam venit Molo, quem ob eloquentiae laudem Rhodii legatum ad senatum miserant, ut praemia impetrarent. Soli enim illi in Mithridatico bello fidem Romanis servaverant 2). Commoranti autem Romae Moloni Cicero denuo operam navans,

---

1) Aristotelis opera recens demum a Sulla, expugnatis Athenis, Romam pervenerant. Vid. Plut. v. Sullae, c. 26. Strabo, l. XIII. p. 609. Athen. l. V. p. 214. Brandis, *Ueber die Schicksale der Aristot. Bücher*, (Rhein. Mus. I. 3. p. 236. sqq.) Cff. Ritter, Op. l. t. III. p. 32. Schlosser, Op. l. t. II. 2. p. 541. sqq. 2) Appianus, *De Bello Mithrid.* c. 26. sqq.

multum hujus facundissimi ac doctissimi rhetoris arte et praeceptis in Graeca dictione adjutus est [1]). Quod ei non minus, quam invalescens civitatis disciplina incitamentum fuit ad causas privatas et publicas, quas nunc demum adiit, suscipiendas. Neque vero multorum exemplo, ut vires suas in foro exerceret, ad causarum patrocinium se applicuit, sed tanquam athleta, omni jam arte eruditus ac labore consummatus, descendebat in aciem. Peractâ igitur privatâ pro P. Quintio causâ, publico judicio defendendum S. Roscium Amerinum suscepit. Quae, ut ipse ait, causa tantum commendationis habuit, ut non ulla esset, quae non digna suo patrocinio videretur. Deinceps inde multae, quas non minus diligenter elaboratas, et tamquam elucubratas afferebat [2]).

Fuit hic studiorum cursus, quem Cicero summa ingenii vi et alacritate constantique labore usque ad annum aetatis duodetricesimum tenuit. Et sane, licet fortuna non minus ei, quam natura faverit, quum, liberali patre natus, in disciplinam traditus sit optimorum magistrorum, est tamen quod tantos ejus tamque celeres progressus, quos in omni artium doctrinarumque genere adolescens fecit, admiremur. Illum vero cursum, quem sumus secuti, non solus peregit; sed, cum alii fuerunt, quos strenuos virtutis gloriaeque aemulos haberet,

1) Bruto, c. 90. 2) Bruto, l. l. Fabricius, *Vita Cic.* § 51. sqq. Middleton, I. p. 57. sqq.

tum Hortensius prae ceteris eminuit, quem, utpote majorem natu, ipsius vestigiis in spatio persequeretur. Cum hoc acerrima ei contentio erat, sed cum eodem tamen, ipso dicente [1], certare erat gloriosius, quam omnino adversarium non habere. Ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσι, cum invicem se mutuis exhortationibus amici ad amorem immortalitatis exacuunt.

1) Brut. c. 1. 90.

CAPUT II.

M. TULLII CICERONIS PHILOSOPHIAE STUDIA AC PRAECEPTORES. IN PRIMIS ANTIOCHUS ET POSIDONIUS.

Ab anno aetatis duodetricesimo usque ad tricesimum.

Iter in Graeciam.

» Erat, inquit Cicero in Bruto [1]), hoc tempore in nobis summa gracilitas et infirmitas corporis; procerum et tenue collum; qui habitus et quae figura non procul abesse putatur a vitae periculo, si accedit labor et laterum magna contentio. Eoque magis hoc eos, quibus eram carus, commovebat, quod omnia sine remissione, sine varietate, vi summa vocis et totius corporis contentione dicebam. Itaque cum me et amici et medici hortarentur, ut causas agere desisterem, quodvis potius periculum mihi adeundum, quam a sperata

1) C. 91.

dicendi gloria discedendum putavi. Sed cum censerem, remissione et moderatione vocis et commutato genere dicendi me et periculum vitare posse, et temperatius dicere: ut consuetudinem dicendi mutarem, ea causa mihi in Asiam proficiscendi fuit. Itaque, cum essem biennium versatus in causis, et jam in foro celebratum meum nomen esset, Româ sum profectus."

Ex his ipsius Ciceronis verbis satis patet, quae ei discedendi Româ hoc tempore causa fuerit. Quam etsi unice probemus, tamen aliter alii de itineris hujus proposito existimarunt. Aurelius Victor [1]: *Adolescens*, inquit, *Rosciano judicio eloquentiam, et libertatem suam adversum Sullanos ostendit: ex quo veritus invidiam, Athenas studiorum gratia petivit.* Item Plutarchus [2]: Δεδιὼς δὲ τὸν Σύλλαν, ἀπεδήμησεν εἰς τὴν Ἑλλάδα, διασπείρας λόγον, ὡς τοῦ σώματος αὐτῷ θεραπείας δεομένου· καὶ γὰρ ἦν ὄντως ἰσχνὸς καὶ ἄσαρκος, ἄῤῥωστίᾳ στομάχου μικρὰ καὶ γλίσχρα μόγις ὀψὲ τῆς ὥρας προσφερόμενος· ἡ δὲ φωνὴ, πολλὴ μὲν καὶ ἀγαθὴ, σκληρὰ δὲ καὶ ἄπλαστος· ὑπὸ δὲ τοῦ λόγου σφοδρότητα καὶ πάθος ἔχοντος, ἀεὶ διὰ τῶν ἄνω τόνων ἐλαυνομένη, φόβον παρεῖχεν ὑπὲρ τοῦ σώματος.

Haec quidem veterum testimonia plures e recentioribus secuti sunt [3]. Nos vero fidem iis non

1) *De Viris Illust.* c. 81. 2) *Vita Cic.* c. 3.

3) Funccius, Op. l. c. 2. p. 45. Brucker, Op. l. t. II. p. 56. Fuhrmann, Op. l. Vol. II. p. 49. Meliora Corradus,

habentes, ipsius potius Ciceronis verbis nitamur, qui, ut se habuerat, simpliciter rem, non quemadmodum eam videri volebat, exposuit. Nam, ut omittam, Ciceronem neque Athenis, neque in Asia, nec usquam terrarum latere Sullam, aut evitare saevissimam ejus iram potuisse, si is eum curasset persequi: nunquam profecto commisisset, ut imprudens tanti periculi causam subiret. Esse enim timidi solet, providere et aversari periculosa, et ea detrectare negotia, quae non dico vitae discrimen, sed levem admodum offensam ancipitemque famam minantur suscepturo. At Sullae dictatori et domino rerum resistere, atque adhibere vim summam orationis, ut justitiam quis tueatur insontemque contra impunitam audaciam defendat, imo abesse a cogitatione malorum, quae re fortiter gesta sit subiturus, unius est omnium honestissimi maximeque intrepidi hominis. Reformidabant igitur ceteri Sullam, imo vero Hortensium in re optima animus deficiebat [1]). Quod videns Cicero, molesteque ferens, parricidii reo negari opem a gravissimis viris, sanctissimi officii sui turpiter obliviscentibus, adfuit convenienti se adolescenti, consolatus eum est, nec recu-

p. 32. Wieland, Op. I. p. 22. Middleton, I. 60. 61. Bähr, Op. l. 359. Schlosser, Op. l. t. II. 2. p. 547. Ritter, Op. l. t. IV. p. 105. Cff. de hac peregrinatione Cic. Walch, *Diatr. de amoenitatibus hist. ex Cic. peregrin. collectis.* (in Parergis Academ Lips. 1721). Tiraboschi, *Storia d. Litt. Ital.* t. I. P. III. p. 240. 1) Orat. pro Rosc. Amer. c. 1. 2 sqq.

savit honestissimam causam suscipere, quam non eventu aut sua fortuna, sed ipsius bonitate metiebatur. Nectebat praeterea moras alteramque causam, pro Arretina muliere, qua potuit Sullam offendere, adiit [1]). Aegerrime tandem medicorum amicorumque monitu eo fuit adductus, ut relinqueret Urbem, et a sperata dicendi gloria discederet, quod sane non fugam cogitantis, aut detrectantis periculum, sed laudem famamque affectantis indicium est putandum.

Fuit iccirco non metus Sullae, sed valetudinis cura causa Ciceroni proficiscendi Româ. Dicamus vero potius, contigisse ita, ut valetudinis curandae gratiâ illuc citius proficisceretur, quo aliquando ut perveniret, in votis consiliisque haberet. Nam vel equidem graviter fallor, vel homini ad discendum incredibili studio ardenti, culto et erudito a teneris Graecis artibus et doctrinis, iisque hac aetate sic instructo, ut earum vim et ubertatem penitus posset percipere, praeterea in addiscendis iisdem artibus cum palmaria Graecorum scripta versanti, tum fruenti optimorum institutione magistrorum, quos Graecia tulerat, huic, inquam, longe antiquissimum erat, in eas excurrere regiones, e quibus humanitatis principia, doctrinae fontes vitaeque velut spiritum hauserat. Quid? quod, recens audito

1) Orat. pro Domo, c. 30. pro Caecina, c. 33. Middl. l. l.

Philoni admirabundus totum se tradiderat Cicero, ac per hujus eximii viri disciplinam ac consuetudinem ad Platonis amorem excitatus, germanae philosophiae jam aliquatenus sibi videbatur recte praestantiam aestimare? Hujus autem philosophiae, ut ceterarum disciplinarum omnium, parens ac patria, quam adire instituit, Graecia fuerat, florebatque etiamnunc earundem artium statoribus, praestantissimis viris. Illinc, praeter innumerabilia beneficia vitaeque instituta, quibus dotata Respublica Romana erat, ipsa religio et mysteria originem duxerant. Ut paucis absolvam, videtur mihi Ciceronis animus, quem sublimes illae saepissime cogitationes subierant, sanctissimo quodam sensu, quum tenderet in Graeciam, perfusus fuisse, similiterque affectus, ac mentes illorum solent, qui in Sacram Terram ad lustranda religionis incunabula pio consilio proficiscuntur.

Sed hac aetate profecto aliud erat reminisci antiquae Graeciae, aliud praesentem eam contemplari. Crebris sine dubio sermonibus novissima ejus fortuna, quam Sullanis armis erat perpessa, Ciceroni et Philoni materiem praebuerat, altiusque res illi secum repetentes, ex quo Socrates ibi exstiterat, et condita ab ejus discipulo Platone Academia erat, varias variarum aetatum calamitates, privatas publicasque, recoluerant saepenumero. Verum hanc praeteriti temporis memoriam, acerbam recordantibus, ipsarum Athenarum fortuna ac vicissitudines

reddebant acerbiorem. Has enim omnium artium doctrinarumque inventrices, quae a prisco inde aevo sensim magis inclaruerant, eundem cum ceteris Graeciae civitatibus malorum cursum subiisse, nec communi fato fuisse exemtas, id unum maxime commovere et affligere viros debebat, quorum animi flagrabant optimarum rerum studiis priscaeque gloriae veneratione.

Non inutile igitur erit, ut Athenarum, quas primum adiit Cicero, statum cognoscamus, novissimas earum clades leviter hîc attingere. Nam postquam, excusso Macedonum jugo, a quibus per satis longum tempus servitute et ignominia erant affectae, in libertatem a Romanis cum cetera Graecia vindicatae erant, ea obtigerat domi quies et tranquillitas, ut reficere se et incolumes praestare a belli damnis possent. Populus in societatis fidem et amicitiam Romanorum benigne receptus, suis deinde legibus veterique disciplina domestica restitutus, nonnulla acceperat a Romanis instituta, quae minus ad violandam libertatem quam ad conjungendos populos valebant. Quibus commodis auctae Athenae surrexerant denuo, ac dignitate inter ceteras civitates conspicuae, speciem pristinae felicitatis recuperasse videbantur. Quo factum est brevi, ut Athenienses hujus prosperae fortunae gratiaeque publicae opportunitatem conferrent potissimum ad humanitatis studia et pacis artes, quae per tot secula insignia sua et ornamenta fuissent,

excolendas. Evecta denuo est ad insignem celebritatis laudem urbs Attica, viditque per triginta circiter annos undique ex Graecia finitimisque populis ad se confluentem eruditissimorum copiam virorum, qui ad instaurandas Musarum artes revocandamque humanitatem otium suum et operam pollicebantur. Et quamvis Alexandria, Massilia aliaeque civitates contendere cum illa et eripere ei principatum conarentur, sic tamen tuita est illo spatio causam suam, ut eluserit omnium conatus. Quin etiam Atticis finibus non septa fuit ejus vis et auctoritas, sed diffusa latius redundavit in Romanos, quibus flagitantibus, et subsidia varia et doctissimi in quovis doctrinae genere viri confluxerunt Romam. Fiebant Athenae, subjecta civitas, nutrices Romae, orbisque Romani, culti ac literati, metropolis; Roma vicissim colonia videbatur Athenarum. Quo quidem eventu rerum illud in gentium historia maxime memorabile accidit, ut duae honoratissimae civitates, quasi facta inter se imperii humanitatisque partitione, utrobique dominarentur.

Sed, haec etsi magna essent, ac veluti antiquae virtutis insigne praemium, brevi tamen constabat, efflоruisse magis Athenas in alienas laudes et utilitates, quam ad recuperandum aliquem non incertum statum ac stabiliendas opes suas revixisse. Ex diuturna enim quiete et otio distracta est civitas in maxima pericula rerumque omnium dimicationem. Exortus est Mithridates, qui post eversam

Carthaginem difficillimus hostis Romanorum fuit, et ad turpem defectionem spe aut armis nationes excitavit. Succubuere hujus insidiis civitates Graeciae, exceptis Magnesia et Rhodo, quae et fidem Romanis, et Mithridati fortitudinem suam praestabant. Ubi percrebuit hujus rei fama Athenis, magna trepidatio fuit, ac festina deliberatio facta, quid in re perdita agendum, quod salutis perfugium esset quaerendum. Quamvis Rhodios reverentia nominis Romani continuerat in officio, et ad repellendum Mithridatem excitaverat, Athenienses defecerunt animis degeneresque se a majorum invicta constantia ostenderunt. Primi ex omnibus Graecis legatos ad Mithridatem miserunt, ut is sibi bene vellet, obsecraturos. In his Aristio Epicureus, quem Mithridates cum ceteris legatis et lecta manu remisit Athenas, specie deducendi eo thesauros ex Delo, re vera ut hanc sibi viam ad occupandam urbem muniret. Nec diu ista consilia ignorabantur; et quum jam Archelaus, regius praefectus, Piraeum invasisset, longis itineribus ad Urbem Sulla adfuit. Cujus ut ad aures nefariae proditionis fama pervenit, exsecratus vir Romanus tam turpem ab iis defectionem, quos cumulata beneficia obstringere victis debuissent, exarsit irâ et obsidione cinxit urbem et Piraeum. Haec dum parabat, atrocissimam tyrannidem in urbe exercebat Aristio, ac potitus rerum omnium copiis, egenos cives, opibus

spoliatos et necessariis, languentes inediâ, destituit. Ferunt adeo, non abstinuisse eos ab esu humanarum carnium, et violentas sibi manus acervatim intulisse. Quae misera Athenarum conditio tetriore etiam fortunâ, ubi ex difficili obsidione in manus Sullae veniebant, excepta dicitur. Nam is ut ante urbis expugnationem Academiae Lyceoque non pepercerat sed foede insultaverat excidendo nemorosissimo loco 1), ita potitus civitate et arce, pulcerrima opera, Philonis armamentarium, navalia, cetera ornamenta disjecit partim, partim incendio delevit. In rapinas autem ac caedes dimissi milites, insano furore per urbem grassati sunt, tantamque dicuntur brevissimo tempore stragem edidisse, ut profusus sanguis portas excedens in suburbium manaverit. Ὧδε μὲν ἀδδὴν, inquit Appianus, 2) εἶχον αἱ Ἀθῆναι κακῶν.

Gravissimae hujus conversionis testem, T. Pomponium, Athenis Cicero convenit. Cum quo, eximie, quamdiu fuerat Athenis, de civitate merito 3), veterem amicitiam renovavit, et eodem recentium malorum interprete usus est. Sed longe lubentius uterque a recenti memoria in veteris aevi

---

1) Plut. *Vita Sullae* c. 12. Ἐπεχείρησε τοῖς ἱεροῖς ἄλσεσι· καὶ τὴν τ' Ἀκαδημίαν ἔκειρε δενδροφορωτάτην περιπατείων οὖσαν καὶ τὸ Λύκειον. 2) *Bello Mithrid.* c. 24. sqq. Plut. *Vita Sullae* c. 12. sqq. Athenaeus *Deipn.* l. V. c. 13. sqq. Cf. Gillies *Hist. of anc. Greece.* t. IV. p. 210 sqq. 3) Nepos, Vita Attici c. 2, 3.

cogitationem se transferebat, ac sermonum suorum participes, qui eo tempore versabantur Athenis, Q. Fratrem, L. Ciceronem et M. Pisonem, habebat. Juvat hîc e libris de Finibus locum [1]) adscribere, quo Cicero sensus ipse suos effudit, quum degebat Athenis, praesertim quum Academiam, Platonis sedem illam, invisebat. » Constituimus, ait ibi, inter nos, ut ambulationem pomeridianam conficeremus in Academia, maxime quod is locus ab omni turba id temporis vacuus esset. Itaque ad tempus ad Pisonem omnes. Inde vario sermone sex illa ab Dipylo stadia confecimus. Quum autem venissemus in Academiae non sine causa nobilitata spatia, solitudo erat ea, quam volueramus. Tum Piso, Naturâne nobis hoc, inquit, datum dicam, an errore quodam; ut, quum ea loca videamus, in quibus memoriâ dignos viros acceperimus multum esse versatos, magis moveamur, quam si quando eorum ipsorum aut facta audiamus, aut scriptum aliquod legamus? Velut ego nunc moveor. Venit enim mihi Platonis in mentem: quem accepimus primum hîc disputare solitum: cujus etiam illi hortuli propinqui non memoriam solum mihi afferunt, sed ipsum videntur in conspectu meo ponere. Hîc Speusippus, hîc

1) L. V. c. 1. — Expressit hos Ciceronis sensus Poeta Batavus, Academiae nostrae quondam decus, Simons in carmine, cui titulus: *De Lof der welsprekendheid* (Verstrooide Gedichten, Amst. 1822. p. 21.)

Xenocrates, hîc ejus auditor Polemo; cujus ipsa illa sessio fuit, quam videmus. Equidem etiam curiam nostram (Hostiliam dico, non hanc novam, quae minor mihi esse videtur, posteaquam est major) solebam intuens, Scipionem, Catonem, Laelium, nostrum vero in primis avum cogitare. Tanta vis admonitionis inest in locis, ut non sine causa ex his memoriae ducta sit disciplina. Tum Quintus, Est plane, Piso, ut dicis, inquit. Nam me ipsum huc modo venientem convertebat ad sese Coloneus ille locus, cujus incola Sophocles ob oculos versabatur: quem scis quam admirer, quamque eo delecter. Me quidem ad altiorem memoriam Oedipodis hue venientis, et illo mollissimo carmine, quaenam essent ipsa haec loca, requirentis, species quaedam commovit, inanis scilicet, sed commovit tamen. — Hîc ego, Assentior tibi, Piso, usu hoc venire, ut acrius aliquanto et attentius de claris viris locorum admonitu cogitemus. Scis enim me quodam tempore Metapontum venisse tecum, neque ad hospitem ante devertisse, quam Pythagorae ipsum illum locum, ubi vitam ediderat, sedemque viderim. Hoc autem tempore, etsi multa in omni parte Athenarum sunt in ipsis locis indicia summorum virorum: tamen ego illa moveor exedra. Modo enim fuit Charmadas; quem videre videor, (est enim nota imago) a sedeque ipsa, tanti ingenii magnitudine orbata, desiderari illam vocem puto. Tum Piso, Quoniam igitur aliquid omnes,

quid Lucius noster, inquit? an eum locum libenter invisit, ubi Demosthenes et Aeschines inter se decertare soliti sunt? Suo enim quisque studio maxime ducitur. Et ille, quum erubuisset, Noli, inquit, ex me quaerere, qui in Phalericum etiam descenderim, quo in loco ad fluctum ajunt declamare solitum Demosthenem, ut fremitum assuesceret voce vincere. Modo etiam paulum ad dexteram de via declinavi, ut ad Pericli sepulcrum accederem. Quamquam id quidem infinitum est in hac urbe: quacunque enim ingredimur, in aliquam historiam vestigium ponimus." Alibi item Pomponii verbis [1]): »Movemur nescio quo pacto, inquit, locis ipsis, in quibus eorum, quos diligimus aut admiramur, adsunt vestigia. Me quidem ipsae illae nostrae Athenae non tam operibus magnificis exquisitisque antiquorum artibus delectant, quam recordatione summorum virorum, ubi quisque habitare, ubi sedere, ubi disputare sit solitus: studioseque eorum etiam sepulcra contemplor."

Patet hinc, ni fallor, quantum Ciceroni adspectus Athenarum ac rerum omnium memorabilium consideratio voluptatis attulerit. Sed ille simul, quae in scriptis suis tam magnifice extulit, mysteria non contemsit. Namque, summam eorum auctoritatem et sanctitatem sive ex Isocratis et Platonis scriptis, sive ex Attici doctissimorumque ho-

1) De Legg. II c. 2.

minum sermonibus cognoverit, hac prima commoratione Athenis videtur Eleusiniis illis sacris initiatus esse. Celebravit ea maximis laudibus in libris de Legibus [1], ubi habito de nocturnis sacris sermone, ita Atticus: „Excipis, credo, illa, inquit, quibus ipsi initiati sumus. M. Ego vero excipiam. Nam mihi cum multa eximia divinaque videntur Athenae tuae peperisse, atque in vitam hominum attulisse, tum nihil melius illis mysteriis, quibus ex agresti immanique vita exculti ad humanitatem et mitigati sumus: *initiaque* ut appellantur, ita re vera principia vitae cognovimus: neque solum cum laetitia vivendi rationem accepimus, sed etiam cum spe meliore moriendi."

Hausit igitur Athenis Cicero hanc sacrorum doctrinam, quam sibi Crassus, serius eodem venienti, negatam olim fuisse molestissime tulerat [2]. Verum, perceptâ hac quantivis pretii doctrinâ, ad audiendum eos, qui in philosophia et eloquentia excellebant hoc tempore, summo studio ferebatur. Tranquillatis enim in Graecia rebus, plurimi doctores, qui sponte in exsilium abierant, in patriam videntur se recepisse ac docendi munus in scholis instaurasse. In Academiam Philoni Antiochus ejusque frater Aristus successerant [3], Epicuri doctrinam se-

1) De Legg. II. 14. Ed. Moseri, ubi v. Wytt. Cf. De Legg. I. 14. ubi v. Goer. In Verrem I. V. 72. Tusc. Quaest. I. 13. De Nat. D. II. 24. Middleton. I. p. 62. Ersch. *Encycl.* t. XVII. p. 189. 2) De Orat. III. 20. 3) Sext.

nec Zeno ac Phaedrus, Româ reversus, cum laude tuebantur [1], aliis verosimiliter philosophis aliae scholae florebant. Non autem mirum, Ciceronem, quum Philonis auditorem et successorem, quocum versaretur, Athenis haberet, parum reliquos curavisse, in hoc autem uno colendo acerrimum studium posuisse. De quo philosopho in *Bruto* [2]: » Cum venissem Athenas, inquit, sex menses cum Antiocho, veteris Academiae nobilissimo et prudentissimo philosopho, fui, studiumque philosophiae nunquam intermissum, a primaque adolescentia cultum, et semper auctum, hoc rursus summo auctore et doctore renovavi." Quamobrem haud abs re erit, peculiariter de eo ejusque philosophandi ratione monere. Qua in causa accuratissime egisse eo minus poenitebit, quo vulgo perturbatius judicari de Antiochi rebus ac negligi vitae tempora solent.

Antiochus igitur Ascalonita acri ingenio vir erat. Cujus exercendi variisque doctrinis subigendi causâ Athenas mature est profectus. Dicitur ibi Philonis auditor fuisse, quamvis probabiliter Clitomachum quoque audivit. Philonem autem magno studio secutus, philosophiae non minus quam eloquentiae habuit magistrum, et didicit apud eum

---

Emp. *Pyrrh. Hyp.* l. I. c. 33. init. Eusebius *Praep. Euang.* l. XIV. c. 4. fine c. 9. Cic. Acad. II. 2. Brutus. c. 97. 1) De Nat. D. I. 21. Tusc. III. 17. De Fin. I. 5. 2) c. 91. Aurelius Vict. Op. l. c. 81. Plut. *Vita Cic.* c. 4.

tamdiu, ut constaret, diutius didicisse neminem 1). Hujus igitur assiduitatis magnaeque contentionis hunc fructum brevi consequebatur, ut inter ceteros discipulos Philonis inclarescere videretur. Sed quum prope virilem aetatem attigisset, studiisque gnaviter operam dedisset, intervenit belli Mithridatici calamitas. Quo in dies vehementius concitato, Philo cum Atheniensium optimatibus, quos tyrannis Aristionis atque impendentia mala percellebant metu, Romam confugit. Mansit Athenis Antiochus, fretus Attici benivolentiâ et clementiâ Sullae; nam is Atticum plurimum dilexit 2) ejusque gratiâ facile videri potest consuluisse philosopho, eumque obsidionis tempore in castra suscepisse. Statim amicitiâ eum sibi jungebat L. Lucullus, qui Sullae hoc tempore quaestor exercitum sequebatur; vir neque a philosophiae studiis alienus, et doctos homines magni semper faciens. Hic maximo ardens discendi studio, talem sibi Antiochum, qualem optaverat, et magistrum et amicum confidebat futurum. Namque, ex quo Philo ab eo Romam discesserat, conversusque penitus ad veterem Acade-

1) Acad. II. 2. 22. Augustinus *Contra Acad.* II. 6. III. 17. 18. *De Civ. Dei* l. XIX. c. 3. Cff. de eo P. Valentia Op. l. p. 91 sqq. Walch. *Diatr.* l. p. 173. 181. Brucker Op. l. t. I. p. 775. Ersch *Encycl.* t. IV. p. 321. t. XVII. p. 227. Wytt. *Bibl. Crit.* Vol. I. P. III. p. 6. Schlosser Op. l. t. I. P. 3. p. 318 sqq. II. 2. p. 543. 547 sqq. Ritter Op. l. t. III. p. 693 sqq. Middleton I. p. 61. Krug Op. l. p. 352. 2) Nepos vita Att. c. 4.

miam erat, ipsum quoque Antiochum in eam partem sensuum evidentia pertraxerat; ἤδη γὰρ ἐξίστατο τῆς νέας λεγομένης Ἀκαδημίας, καὶ τὴν Καρνεάδου στάσιν ἐγκατέλειπεν, εἴτε καμπτόμενος ὑπὸ τῆς ἐναργείας καὶ τῶν αἰσθήσεων, εἴτε, ὥς φασιν ἔνιοι, φιλοτιμίᾳ τινὶ καὶ διαφορᾷ πρὸς τοὺς Κλειτομάχου καὶ Φίλωνος συνήθεις [1]). Absente igitur Philone, quum jam essent Athenis, qui mutarent sententiam, illamque cohibendae assensionis consuetudinem remittere cuperent, horum auctoritate et auxilio facile Academiae principatum obtinuit. Philonis autem amici atque auditores, quos latuerat hujus animus, nil magnopere suspicati, magistrum suum alia Romae tradere coepisse, et instaurare veterem Platonis disciplinam, moleste ferebant, Antiochum, a Clitomachea ratione desciscentem, istam sibi tantam arrogare auctoritatem. Sed illa pugna tum ne incalesceret, impediebat obsidio; Lucullus vero, etsi omnem gustasset philosophiam, tamen Antiocho familiarior factus, antiquae Academiae praecipuo quodam amore incendebatur, minusque probabat Carneadeam rationem. Qua de re Plutarchus: Λούκουλλος ἴδιον τῆς Ἀκαδημίας ἐξ ἀρχῆς ἔρωτα καὶ ζῆλον ἔσχεν, οὐ τῆς νέας λεγομένης, καίπερ ἀνθούσης τότε τοῖς Καρνεάδου λόγοις διὰ Φίλωνος, ἀλλὰ τῆς παλαίας, πιθανὸν ἄνδρα καὶ δεινὸν εἰπεῖν τότε προστάτην ἐχούσης, τὸν Ἀσκαλωνίτην Ἀντίοχον· ὃν πάσῃ

1) Plut. *Vit. Cic.* c. 4.

σπουδῇ ποιησάμενος φίλον ὁ Λούκουλλος καὶ συμβιωτὴν ἀντέταττε τοῖς Φίλωνος ἀκροαταῖς [1].

Sed parum erat Lucullo, in castris Sullae cum Antiocho commorari; expetebat eum sibi, quoad ejus in publicis negotiis fieri posset, vitae socium. Quare cum a Sulla hiemali tempore in Africam et Syriam, ut classem contraheret, pro quaestore mitteretur [2], illum, qui e philosophis ingenio scientiaque putabatur excellere, secum habuit. Delati Alexandriam, Heraclitum Tyrium, aliosque Philonis discipulos, Antiocho autem familiares, offenderunt: contra quos, ut res ferebat, Antiochus placita sua recentemque sententiam defendebat. Eodem forte tempore Alexandriam duo libri Philonis erant allati, quibus negabat, duas Academias esse, erroremque eorum, qui ita putarent, coarguebat. Ac consilium quidem quale fuisset Philoni scribendi, prorsus illi non poterant capere: ignorabant enim, quae accidissent. Probabile autem videtur, Philonem, cum Athenis fuisset princeps Academiae, subito commutatam animi sententiam occultare, omnemque proditionis

1) *Vita Luc.* c. 42. In his possit difficultatem movere διὰ Φίλωνος, quoniam Philo jam tum Romae versabatur. Sed non necesse est istud de Philone praesente accipere; aptius videtur, auctoritatem intelligere, qua absens apud auditores suos Athenis Philo vigebat. Quod eo magis probamus, quia in proximis non de Philone ipso, sed de ejus auditoribus sermo est. Cff. Reiskii Annot. p. 906.
2) Plut. *Vita Luc.* c. 2. Appianus. *Bell. Mithrid.* c. 53. Cf. Clinton *Fasti Hellen.* Vol. III. p. 148.

speciem voluisse antevertere. Quod ut ageret, depulsâque invidiâ commendaret antiquam Academicorum et Peripateticorum, quae una consentiensque fuisset, philosophiam, suspicor libros istos Romae ab eo scriptos esse, qui correctionem continerent Carneadeae rationis, quae de ipsius sententia, quantum res ipsas et argumenta spectaret, cum veterum placitis eximie concinerent. Hanc vero scribendi curam, cujus causa non poterat illorum animos subire, qui tum Alexandriae erant, mirabantur omnes. Antiochus autem, ubi in ejus manus libri illi venerunt, quamvis homo esset naturâ lenissimus, stomachari coepit. Ferre enim non poterat, doctrinam Carneadis ac Clitomachi, quam ipse exuisset, ut veterem Academicorum, sibique jam unice probatam amplecteretur, cum hac misceri turpiter a Philone, atque in quandam concordiae speciem redigi. Implorans igitur Heracliti memoriam, quaerebat ex eo, viderenturne illa Philonis, aut ea num vel e Philone, vel ex ullo Academico audivisset aliquando? Negabat ille: Philonis tamen scriptum agnoscebat; nec id quidem dubitari poterat; nam aderant familiares, docti homines, qui se illa audisse Romae de Philone, et ab eo ipso illos duos libros dicerent descripsisse. Tum non tenuit se Antiochus, quin contra suum doctorem librum ederet, qui *Sosus* inscriberetur [1]).

1) Acad. I 4. II. 2. 4. August. *Contra Acad.* III.

Redux autem Athenas Antiochus, totamque rationem Philonis, quae ibi percrebuerat, edoctus, rediit cum eo in gratiam, quocum opinionis errore in inimicitiam pervenerat. Nam uterque tanquam in veterem domum ex nova migrarat 1). Postremo tamen Antiochus, sive Mnesarchi et Dardani monitu, quos e Panaetii schola exortos Athenis audiverat docentes, sive gloriae studio ductus, fore sperans, ut hi, qui se sequerentur, *Antiochii* vocarentur, senex a Philone discessit. Postea igitur quam ipse coepit, qui se audirent, habere, et una cum Archia Lucullum Imperatorem in bellum Mithridaticum secutus est, reservatâ nominis dignitate, reapse a vetere Academia descivit, evasitque, perpaucis mutatis, germanissimus Stoicus 2).

---

c. 6. *Cum ita se res haberet, ut vetus Academia magis aucta quam oppugnata videretur, extitit Philonis auditor Antiochus, qui, ut nonnullis visum est, gloriae cupidior, quam veritatis, in simultatem adduxit Academiae utriusque sententias. Dicebat enim, rem insolitam et ab opinione veterum remotissimam Academicos novos conatos inducere. In quam rem veterum physicorum aliorumque magnorum philosophorum implorabat fidem: ipsos etiam Academicos oppugnans, qui se verisimile contenderent sequi, cum ipsum verum se ignorare faterentur. Multaque alia argumenta collegerat: nihil tamen magis defendebat, quam percipere posse sapientem.* His fortasse verbis libri *Sosi* argumentum Augustinus indicavit. 1) Acad. I. 4. 2) Acad. I. 12. II. 19. 22. 43. August. Op. cit. l. III. c. 18. *Antiochus, auditis Philone Academico et Mnesarcho Stoico, in Academiam veterem, quasi vacuam defensoribus et quasi nullo hoste securam, velut adjutor*

Haec quidem de Antiocho continuâ oratione exposui, quo magis ratio temporum perspicua fieret, et qualem eum Cicero philosophum Athenis sex mensium spatio audierit, intelligeretur. Profitebatur ergo tum Platonicam philosophiam, Ciceroque eum *veteris Academiae nobilissimum et prudentissimum philosophum* 1) appellare non dubitavit. Rectequę Plutarchus 2) Bruti referens studia, *τῶν Ἑλληνικῶν φιλοσόφων*, ait, *οὐδενὸς μὲν, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, ἀνήκοος ἦν, οὐδ' ἀλλότριος, διαφερόντως δ' ἐσπουδάκει πρὸς τοὺς ἀπὸ Πλάτωνος· καὶ τὴν νέαν καὶ μέσην λεγομένην Ἀκαδημίαν οὐ πάνυ προσιέμενος, ἐξήρτητο τῆς παλαιᾶς· καὶ διετέλει θαυμάζων μὲν Ἀντίοχον τὸν Ἀσκαλωνίτην.* Negligentius vero idem Antiochi aetates miscet, quum Ciceronis peregrinationem in Graeciam enarrans, dicat 3): *ἃ δ' ἐν τοῖς δόγμασιν ἐνεωτέριζεν, οὐκ ἐπῄνει· ὁ Κικέρων· ἤδη γὰρ ἐξίστατο τῆς νέας λεγομένης Ἀκαδημίας ὁ Ἀντίοχος, καὶ τὴν Καρνεάδου στάσιν ἐγκατέλειπε — τὸν Στωϊκὸν ἐκ μεταβολῆς θεραπεύων λόγον ἐν τοῖς πλείστοις.* Nam in senectute demum Stoica eum in Acade-

---

et civis irrepserat, nescio quid inferens mali de Stoicorum cineribus, quod Platonis adyta violaret. Sed huic arreptis iterum illis armis, et Philon restitit donec moreretur, et omnes ejus reliquias Tullius noster oppressit, se vivo impatiens labefactari, vel contaminari, quidquid amavisset. Vocat eum etiam *foeneum Platonicum.* l. II. c. 6 Cf. *De civit. Dei* l. XIX. c. 3. ibique Comment. Vivis Valentini. 1) Bruto c. 91. 2) Vita Bruti c. 2. 3) Vita Cic. c. 4.

miam importasse, cum superior disputatio nostra, tum locus de Legibus [1]) videtur significare, ubi quaerenti Attico: „Assentiris Antiocho, familiari meo (magistro enim non audeo dicere) qui me ex nostris paene convellit hortulis, deduxitque in Academiam perpauculis passibus:" sic respondet Cicero: » Vir iste fuit ille quidem prudens et acutus, et in suo genere perfectus, mihique, ut scis, familiaris: cui tamen ego assentiar in omnibus necne, mox videro."

Valebat igitur haec Antiochi disciplina, quam Cicero accepit Athenis, ut currentem magis incitaret, et ad legendum Platonem veteresque Academicos ardentius inflammaret. Quae disciplina, quum proferretur ore rotundo et ad persuadendum efficacissima ratione [2]), una tenere maxime et movere auditores poterat, Ciceronem quidem, quamdiu commorabatur Athenis, constanter tenuit. Attamen non otium omne his studiis impendebat: eodem enim tempore apud Demetrium Syrum, ve-

1) L. I. c. 21. Cff. Sext. Emp. *Pyrrh. Hyp.* l. I. c. 33. Ὁ Ἀντίοχος τὴν Στοὰν μετήγαγεν εἰς τὴν Ἀκαδημίαν ὡς καὶ εἰρῆσθαι ἐπ' αὐτῷ, ὅτι ἐν Ἀκαδημίᾳ φιλοσοφεῖ τὰ Στωϊκά. Ἐπεδείκνυε γὰρ ὅτι παρὰ Πλάτωνι κεῖται τὰ τῶν Στωϊκῶν δόγματα. — Euseb. *Praep. Euang.* l. XIV. c. 9. Μνησάρχῳ τῷ Στωϊκῷ σχολάσας ὁ Ἀντίοχος, ἐναντία Φίλωνι τῷ καθηγητῇ ἐφρόνησε, μυρία τε ξένα προσῆψε τῇ Ἀκαδημίᾳ. 2) Laudatur enim ejus non solum εὐροία τῶν λόγων καὶ χάρις, sed etiam πιθανότης καὶ δεινότης apud Plut. *Vit. Cic* c. 4. *Luculli* c. 42.

terem et non ignobilem dicendi magistrum, studiose exerceri solebat [1]). Quin etiam ab eo Atticus impetrabat, ut, sicut ipse frequenter adiret Antiochi scholam, ita vicissim Zenonem ille Sidonium et Phaedrum Epicureos audiret. Quorum hunc Romae adolescentulus probaverat et dilexerat, illum vero a Philone suo narrat *Coryphaeum Epicureorum* esse appellatum: qui etiam sibi proficiscenti Româ auctor fuisset, ut frequenter eum audiret; »credo, inquit, ut facilius judicarem, quam illa bene refellerentur, quum a principe Epicureorum et acutissimo accepissem, quemadmodum dicerentur. Ille autem non, ut plerique, sed distincte, graviter, ornate. Sed in illo mihi usu saepe venit, ut moleste ferrem, tantum ingenium in tam leves, ne dicam, in tam ineptas sententias incidisse [2]), ut mihi nihil magis quam Phaedrus, praeter sedulitatem probaret. Atticus vero quum miraretur quidem utrumque, Phaedrum autem etiam amaret, quotidie inter nos ea, quae audiebamus, conferebamus: neque erat unquam controversia, quid ego intelligerem, sed quid probarem [3])."

Quodsi vero rationem animadvertimus, qua

1) Brut. c. 91. 2) De Nat. D. I. I. 21 — Vocat eum *acriculum senem* in Tusc. Quaest. I. III. c. 17. 3) De Fin. I. 5. De Nat. D. I. 33 *Phaedro nihil elegantius, nihil humanius.* — Cff. Jonsius Op. l. l. II. c. 13. 8. c. 15. 4. c. 18. 4. Brucker Op. l. t. II. 65. Middleton I. p. 62. Clinton. Op. l. p. 157.

Cicero non solum postea, quum contra Epicureos scribere instituëret, verum etiam, ex quo Philonem cognovit, de Epicurea doctrina existimavit, mirum nobis accidit legentibus, in Lucretii poemate *de natura rerum* absolvendo eum elaborasse 1). Nam de Epicureo Patrone, quem audiverat Romae adolescentulus, ita scribit 2): » Cum Patrone mihi omnia sunt, nisi quod in philosophia vehementer ab eo dissentio. — Totam hominis vitam rationemque, quam sequitur in philosophia, derideamus licet, si hanc ejus contentionem volumus reprehendere: sed illi ceterisque, quos illa delectant, non valde inimici sumus." Haec reputantes et cetera graviora, vix possumus adduci, ut credamus, Ciceronem ea placita commendare voluisse, quae ipse maturâ aetate, in quod tempus illius confectio operis incidit, tam vehementer improbavit.

Cicero igitur, postquam multos audiverat suo in genere excellentes viros, non solum doctior Athenis atque eruditior, verum etiam exercitatior ad dicendum agendumque profectus est. Quaerendum

1) Eusebii Chronicon. Vers. Hieron. p. 150. — Facit Lucretii operis mentionem Cicero in Ep. ad Q. Fr. l. II. 11. *Lucretii poemata, ut scribis, ita sunt: non multis luminibus ingenii, multae tamen artis.* — Cff. Corradus. p. 275. Tiraboschi. Op. l. t. 1. P. III. 1. III. 3. Gautier de Sibert. Op. l. (Mém. de l'Acad. des Insc. t. XLI. p. 478.) Fuhrmann. Op. l. t. III. p. 156. Middl. II. p. 409. Bähr p. 137. 2) Ep. ad Fam. l. XIII. 1.

restat, priusquam eum Asiam peragrantem sequamur, quo consilio quaque mente Athenas reliquerit, neque ibi proficere diutius, et cum Attico atque Antiocho familiaribusque multis versari, quam in alias terras, quamvis nobilissimas, ac liberalibus studiis affluentissimas, peregrinari maluerit. Ipse causam rei non refert, verum Plutarchus nobis tradit, Sullae mortui nuncium, Athenas delatum, effecisse, ut quum diu incertus inopsque consilii fuisset, abitum maturaret [1]). Quod recte videtur observasse. Nam nisi Sulla obiisset eo ipso tempore, aut brevi post, credibile est, difficillime eo potuisse perduci Ciceronem, ut Romam rediret et rempublicam capesseret. Maximorum enim malorum, quae unus ille in Graeciam importaverat, molesta recordatio, quam magis etiam exasperabant ingentes Romanorum calamitates, eodem auctore excitatae, a conspectu Romae eum procul arcuisset. Contra, quae omnem ei abeundi animum auferrent, distraherentque a remigratione in patriam, vide quam multa et gravia inciderent. Namque quum ei, abeunti Româ, videretur propositum esse iter in Asiam [2]), nec cogitavisset Athenis diutius morari, quam philosophum in tam clara ci-

1) C. 4. 2) Cicero in Bruto c. 91. *Cum censerem, remissione et moderatione vocis et commutato genere dicendi me et periculum vitare posse, et temperatius dicere, ut consuetudinem dicendi mutarem, ea causa mihi in Asiam proficiscendi fuit.* Cf. Quinct l. XII. c. 6.

vitate deceret, ecce! Athenas delato ita omnia placent, devinctumque locis ipsis tenent, ut fere oblitus sui sperataeque dicendi gloriae, apud Lotophagos verius quam apud Athenienses videretur appulisse. Hinc enim Antiochi institutio summaque viri familiaritas, illinc plurimorum benivolentia, in primis Attici amicitia conjunctioque studiorum mirifice eum ceperant. Quae omnia invitamenta, si addideris continuas Attici preces et cohortationes, cui, ut Epicureo, licebat amicum a reipublicae avocare administratione, profecto talia ac tanta fuerint, ut non mirum esset, Ciceroni Athenas non tanquam commorandi deversorium, sed tanquam proprium habitandi locum placuisse. Sic igitur sentientem, sic optantem, ut, si ejusdae reipublicae spe excidisset, Athenas vitam fortunasque transferret, sibique liceret, remoto a forensi contentione, philosophiae studiis vacare, mors Sullae et crebrae amicorum literae, quae Româ afferebantur, Antiochi etiam adhortatio, ut ad rempublicam jam protinus accederet, vehementer eum ad omnem vim ingenii consiliique sui in Romanae civitatis conferendam utilitatem excitarunt.

Quandoquidem vero praecipuam Athenis operam philosophiae navaverat, minusque assidue ob infirmam valetudinem oratoriis exercitationibus se dederat, *αὖθις, ὥσπερ ὄργανον, ἐξαρτύσων τὸν ῥητορικὸν λόγον, καὶ ἀνακινήσων τὴν πολιτικὴν δύναμιν*, iter

in Asiam paravit [1]). Jam enim corpus, in gymnasiis assidua exercitatione firmatum, robusta specie commendabatur, vox autem, quae rauca fuerat, plenior et suavior meliusque ad corporis habitum composita erat. Quo magis operae pretium facturus videbatur, si eam studiosius exercens, praestantissimos quosque rhetores et oratores in omni parte Asiae conveniret, ut posset, illorum praeceptis usus fideliter, brevi ornatissimus in rempublicam prodire. » Post a me, inquit [2]), Asia tota peragrata est cum summis quidem oratoribus, quibuscum exercebar ipsis lubentibus; quorum erat princeps Menippus Stratonicensis, meo judicio, totâ Asiâ illis temporibus disertissimus: et si, nihil habere molestiarum, nec ineptiarum, Atticorum est, hic orator in illis numerari recte potest. Assiduissime autem mecum fuit Dionysius Magnes. Erat etiam Aeschylus Cnidius, Adramytenus Xenocles. Hi tum in Asia rhetorum principes numerabantur."

Videmus ex his, Ciceronem, regiones Asiae obeuntem, non id duntaxat egisse, ut in singulis, quas adibat, inclytis civitatibus interesset clarissimorum oratorum disciplinae, verum eos itineris socios comitesque perdiu habuisse. Quo fiebat, ut quum singulis singulatim uteretur dicendi declamandique magistris, diversas eorum rationes to-

1) Plut. Vita Cic. c. 4. 2) Brato c. 91.

tamque Asiaticae eloquentiae et formam et varietatem comprehendere et in suos usus accommodare posset. Nam discernere probabilia minusque probanda, ex hisque optima quaeque delibare, semper fuisse Ciceronis novimus. Erat autem dicendi genus Asiaticum duplex: unum sententiosum et argutum, sententiis non tam gravibus et severis, quam concinnis et venustis; alterum non tam sententiis frequentatum, quam verbis volucre atque incitatum. Hoc magis magisque invaluerat, brevique totam Asiam occupavit. Ex oratoribus autem, qui hoc tempore in eo genere florerent, Aeschylus quoque Cnidius erat, in quo fuisse quidem admirabilem orationis cursum, sed ornatam sententiarum concinnitatem defuisse eidem, postea Cicero fassus est [1]). At hac aetate impetuosa ingenii vis sponte sua rapiebatur in hujus generis, quod flumine orationis et faceto exornatoque verborum usu commendabatur, admirationem, dediscebatque illam sobrietatem, quae, Atticorum propria, nervosam efficiebat orationem. Similis igitur Ciceronis hac in causa fortuna fuit, atque Atticae eloquentiae fuerat, *quae*, ut ipse ait [2]), *semel e Piraeo evecta, omnes peragravit insulas, atque ita peregrinata totâ Asiâ est, ut se externis oblineret moribus omnemque illam salubritatem*

1) Bruto c. 95. Quinct. *Inst. Orat.* l. XII. 10. Cf. Welch. Diatr. l. p. 186. sqq. Clinton. Op. l. t. II. p. 544.
2) Bruto c. 13.

et quasi sanitatem perderet, ac loqui paene dedisceret.

Hac igitur etsi tum delectaretur dicendi ratione effrenata, consuetudinemque ejus magnopere affectaret, utilitatem tamen simul permagnam hausit ex cognoscenda comparandaque illorum principum oratorum arte. Vix enim probabile est, reliquos eâdem artificiosâ et comtâ oratione usos esse. Quod si vel maxime ita fuerit, Menippo tamen Cari, cognomine Catocas, dissimilem placuisse morem cognovimus, cui nihil molestiarum ineptiarumque adhaerebat et propterea similior Atticis videbatur 1). Veruntamen, quidquid detrimenti dicendi facultas hac consuetudine cepit, corrigendi se emendandique opportunitatem proxima ei statio, quae *Rhodi* fuit, insignem attulit.

Huc enim ex quo tempore, Demosthenis aetate, Aeschines exsul se contulerat 2), invebens studia Athenarum, eloquentia prae ceteris artibus efloruit Rhodi; neque tamen pari, qua Athenis, dignitate. Ut enim sata quaedam, alieno solo coeloque commissa, facile degenerant, ita saporem illum Atticum dicendi copia, Rhodum delata, non mutavit quidem cum peregrino, sed miscuit, ut aliquid assumsisse videretur gentis, aliquid auctoris. Fuere enim oratores Rhodii neque Attice presi, neque Asiane abundantes, saniores vero et Atticorum

1) Bruto c. 91. 2) Val. Max. l. VIII. c. 10. Ext. 1.

similiores; lenti quidem ac remissi, nec sine pondere tamen; non fontibus puris, neque torrentibus turbidis, sed lenibus stagnis conferendi 1). Schola autem illa Aeschines cum magnis inclaruisset ingeniis, tam, ad Ciceronis aetatem propagata, Apollonium Molonem, actorem in veris causis, scriptoremque praestantem, quem bis jam Rhodi Cicero audiverat, protulit 2). Hic idemne sit atque is, qui Apollonius Alabandensis appellatur 3), lis est; certe non est confundendus cum Apollonio Nysaeensi, philosopho Stoico 4). Sed videntur distinguendi duo Apollonii, aequales et Alabandenses, quorum alter, Μαλακὸς cognominis, fortasse propter molle dicendi genus, alter Μόλων cognominatus, legationibus praefuit; namque et adversus Caunios orationem habuit 5), et dicitur in legatione Rhodiorum de praemiis ante omnes exterarum gentium in Senatu Romano sine interprete Graece auditus esse; *quem honorem*, ait Valerius Maximus 6), *non immerita cepit, quoniam summam vim Romanae eloquentiae adjuvit.* In hujus igitur Molonis rhetoris, sedatius decentiusque declamare praecipientis, ubi Cicero redie-

1) Bruto c. 13. Quinct. Inst. Orat. XII. c. 10. Walch. Op. l. p. 186. 2) Bruto c. 91. 3) De Orat. I. c. 27. 75. ibique Heinrichsenus. Cf. Ellendt ad Brutum c. 89. § 307. Walch. l. l. 4) Confudit utrumque Gillies Op. l. t. IV. p. II. p. 177. 5) Strabo l. XIV. § 3. Cf. § 27. 6) L. II. c. 2. 5.

rat institutionem, cognovit eum magis quam antea in notandis animadvertendisque vitiis, atque in instituendo docendoque prudentissimum virum 1). Huic ergo rursus formandum ac velut recoquendum se dedit 2), quo ab illa dicendi luxuria paulatim remitteret, usumque orationis simplicioris addisceret. » Is dedit operam, inquit, (si modo id consequi potuit), ut nimis redundantes nos et superfluentes juvenili quadam dicendi impunitate et licentia reprimeret, et quasi extra ripas diffluentes coerceret " 3).

Uti autem Apollonio Cicero, severo judici, operam navavit in arte dicendi, ita in philosophiae studiis gravissimum ducem ac doctorem Posidonium nactus est 4). De quo viro, magna sapientiae existimatione Rhodi florente, gratum erit nonnulla hic exponere, quo magis, qua ratione acuere Ciceronis ingenium potuerit, intelligatur. Verum, quandoquidem ille Panaetii discipulus fuit, nec sine causa cum hujus memoria conjungi solet, eandem nos quoque rationem, ob disciplinae utriusque stu-

1) Brute c. 91. 2) Quinct. *Inst. Orat.* l. XII. c. 6. 3) Brute l. l. Cff. de Apollonio Suet. *Vita Caes.* c. 4. Aur. Vict. Op. l. c. 81. Corradus p. 30. sqq. Fabric. *Bibl. Gr.* l. III. c. 20, p. 527. Rualdus. *Animadv. ad Plut. Vit. Cic.* XXVIII. Ed. Reisk. p. 885. Erseh *Encycl.* t. IV. p. 448. t. XVII. p. 213. Belin de Ballu. *Hist. de l'Eloq. chez les Grecs.* t. II. p. 74. Wieland. Op. l. p. 13. Middleton. t. I. p. 64. Clinton. Op. l. II. p. 544. 4) Plut. *Vita Cic* c. 4.

diorumque similitudinem, secuturi, de Panaetio prius, deinde de Posidonio agemus.

Atque Panaetii quidem memoriam excitantes, incidimus sponte nostra in florentissima Imperii Romani tempora, in Scipionis Laeliique juventutem, in ipsa denique liberalioris institutionis elementa, quae laetius deinde excreverunt. Romam enim Panaetius contendit, postquam inde Senatûs auctoritate discesserant nobiles philosophi, Atheniensium legati. Quorum quum infesta Reipublicae legibusque visa fuissent consilia et insolens disputandi ratio, Panaetius, advena Athenis, in Scipionis et Laelii familiaritatem multorumque amicitiam, nemine adversante, admittitur: Scipioni quidem ita conciliatus brevi, ut non solum ejus hospitio uteretur, sed mox illi, iter in Aegyptum suscepturo, comes adjungeretur. Sic autem per illud tempus, quod Romae degebat, cum Laelio et Scipione vixit, ut non tamquam privatus cum reipublicae gubernatoribus, non tamquam amicus cum fautoribus, verum uti magister cum discipulis benivolentiâ conjungeretur. Qui si mediocris fuissent ingenii viri, nec cum principibus quibusque comparandi, satisfecisset iis *ingenuitas hominis ac gravitas, et non incondita ratio orationis* 1). Contra quum excellerent illi ingenio, neque ho-

1) De Fin. IV. 9. 28. De Off. II. 10. Cff. Jonsius Op. l. II. 13. Lyndeni Disput. *de Panaetio*, accurate eleganterque conscripta. Ritter. Op. l. t. III. p. 680, sqq.

nesta institutione caruissent, majorem sane opinionem de Panaetio habeamus necesse est, ut dignus tantorum virorum videatur consortio. Hanc autem opinionem res ipsa praeclare confirmat.

Namque ut Panaetius e scholis Diogenis Babylonii et Antipatri Tarsensis excesserat, doctrinâ magis auctus quam ingenio exercitatus, contulit se continuo ad legenda veterum Socraticorum scripta, ea mente, ut quod ibi bonae frugis reperisset, in suos usus referret. Itaque non miramur, acre ejus studium fuisse, ista omnia sedulo perquirendi, in primis Platonem studiosissime tractandi. In quibus studiis quum ea ratione versaretur, ut Stoica placita non negligeret, sed illa vellet, quoad ejus fieri posset, ad veterum revocare sanitatem, fiebat ut non solum oratione Platonis, sed philosophiae ejus omnino caperetur incredibili amore. Cujus vi et suavitate jam magis magisque percepta, et ipse a Stoae consuetudine remisit, et hujus doctrinam omnem ad simpliciorem rationem adducere tentavit. Quam laudem ei tribuit Cicero [1]: » Stoicorum, inquit, tristitiam atque asperitatem fugiens, nec acerbitatem sententiarum, nec disserendi spinas probavit: fuitque in altero genere mitior, in altero illustrior; semperque in ore habuit Platonem, Aristotelem, Xenocratem, Theophrastum, Dicaearchum, ut ipsius scripta declarant." Alio

1) De Fin. IV. 28.

loco [1]) refert, Platonem a Panaetio omnibus fere locis *divinum*, *sapientissimum*, *sanctissimum virum*, *Homerum philosophorum appellari solitum*. Unde fertur quoque singulari quadam scriptione de sectis exposuisse, eamque videtur a Socrate exorsus esse [2]). Sed magis etiam ex doctrina ejus, quatenus servata exstat, percipitur, quales progressus in emendanda Stoicorum philosophia, veterum, in primis Platonis auctoritate, suo Marte fecerit: nemo enim erat, qui ei vel exemplo praeiret, vel consilio adesset. Quippe nihil ceteri philosophi, quod dignum homine et philosophia esset, afferebant. Itaque Panaetius, prudentior ipse hac Academicorum impudentiâ factus, instructusque plurimarum artium scientia, improbavit Stoicorum ἀπάθειαν et ἀναλγησίαν, cumque Astronomiae quoque peritus esset, de divinatione dubitare palam coepit. Porro in politica parte doctrinae popularem in primis usum ac civilem secutus est. Ac licet animorum immortalitatem de Stoicorum sententia negaret, tamen obscuram illam Stoicorum subtilitatem rejecit, omnemque doctrinae copiam et ubertatem in ipsis explicandis officiis, plane ad Socraticorum perspicuitatem et elegantiam redegit [3]). His si adjungas, Panaetium adeo imbutum fuisse Platonicae philosophiae principiis, ut primus in Demosthenis orationibus, quas magni videtur fe-

1) Tusc. I. 32. Cf. Lyndenus p. 60. et passim. 2) Lynd. p. 114. 117. 3) Lynd. p. 70. 76. 84. 80. sqq.

cisse, illam vim moralem, civilis ejus prudentiae dominatricem, animadverteret atque sentiret 1), talem habebis doctrinae Panaetianae speciem, qualem nobis aetas servavit; ut jam possimus suspicari, quantopere, duce Platone, ad germanam philosophandi rationem accedere studuerit. Quapropter, quam minus scholae, quam usui civili hominumque consuetudini serviret, atque eleganti disciplina adjuvare clarorum virorum studia niteretur, intelligitur, cur tam acceptus Scipioni et Laelio fuerit, iisque erudiendis fundamenta apud Romanos vitae humanioris primus posuerit. Unde Cicero etiam memoriam ejus maximopere commendavit, saepius eum ut *principem et gravissimum Stoicorum*, *magnum hominem et in primis eruditum*, *summum philosophum*, *eruditissimum et paene divinum virum* laudans 2).

Sed eadem disciplina viri, quam late in populos disseminata sit et efflorverit, advertamus. Quum enim principum familiaritate vim coepisset apud Romanos habere, Athenis scholam Stoicam emendavit, ejusque sibi successorem, quem erudiverat, reliquit Mnesarchum 3). Quo doctore usus Antiochus dicitur 4), qui non solum Lucullum diligentem ha-

1) Lynd. p. 75. Cff. Initia Phil. Plat. Vol. II. P. 1. p. 85. — Vid. J. H. Scholten in doctissima Disp. *de Demosth. Eloq. charact.* p. 8. 123. sqq. 2) Acad. II. 33. De Divin. I. 3. De Legg. III. 6. Orat. pro Murena c. 31. De Off. II. 14. 24. 3) Lynd. p. 56. 48. 4) Cic. Acad. II. 22.

buit auditorem, sed admirationem quoque Ciceronis movit. Alter e Panaetiana disciplina profectus, Posidonius Apameënsis, peragratis multis regionibus, Rhodum se recepit, ibique scholam vel explicuit novam, vel veterem sed ignobilem renovavit 1). Nam Panaetium Rhodi docuisse, ideo probabilitate caret, quod a Cicerone iis accensetur, qui semel egressi e patria nunquam reverterint 2). Hoc constat, Posidonium apud Rhodios et maxima doctrinae fama floruisse, et de civitate eorum multiplici nomine egregie meritum esse. Quod jam diligentius persequamur.

Liberalissime institutus iis artibus omnibus, quae decere generosam indolem putantur, auxit constanter earum peritiam. Quamobrem non solum Athenis in philosophia operam dedit Panaetio, eumque accuratissime de rebus physicis et moralibus disserentem audivit, verum etiam, quo erat adolescens ingenti ductus discendi ardore, parare sibi historiae, geographiae, astronomiae notitiam instituit. Neque etiam, quo magis harum disciplinarum ubertate imbueretur, materiamque conquireret ad varias earum partes augendas et illustrandas, peregrinationis per Europam recusavit difficultatem. Redux deinde Rhodum, occupatissimâ vitâ functus est. Morem enim secutus Panaetii, egregie profuit

1) Vid. Bakii eruditissima disput. de Posidonio p. 13. Lyndemus p. 17. 2) Tusc. V. 37.

studiosae juventuti, professusque philosophiam est; cui tamen non ita vacavit, ut quidquid superesset subsecivi temporis, colligendis iis, quae itineris opportunitate in quavis disciplina graviora notaverat, scriptoque mandandis impenderet. Quam si unice fuisset secutus rationem, vel sic satis laudanda viri industria esset. Verum profuit ille non solum Rhodiis, sed praefuit. Gessit magistratus et honores, legationem obiit Romam, priorem illâ, qua functus Apollonius fuit. Et habuit tantis studiis tantaeque rerum varietati maxime congruum vitae spatium, si quidem octogenario major, Consule Marcello, Romae decessit [1]).

Nostra igitur interest videre, quos fructus philosophiae studium ab hac eruditionis copia et ubertate ceperit. Namque etsi cogitanti, quantos in singulis doctrinae generibus quamque admirabiles Posidonius progressus fecerit, dubium esse possit, cuinam generi potissimum praefuerit, illud certum, philosophiae eum suam reddidisse vim et auctoritatem, ejusque lucem ceteris affudisse. Accipimus enim, sic eum esse philosophatum, ut Panaetii vestigia sequeretur. *Qui eum*, ut ait Bakius [2]), *longe disciplinae fines protulisset, et antiquorum relictâ asperitate, ad Socraticorum se contulisset elegantiam ac suavitatem, eadem ratione imbutus Posidonius, fugit in primis per-*

1) V. Bakius in Disp. I. Parte I. 2) p. 23.

tinaciae vitium, quo nihil philosopho turpius est, ut puderet ipsum reliquorum Stoicorum placita, quae manifesto falsa essent, amplecti. Tenuit igitur a Panaetio praescriptam et inchoatam emendandae Stoae rationem, tenuit disciplinae viam, sermonis elegantiam et perspicuitatem, tenuit eandem in omnibus naturae similitudinem. Conjunctus praesertim cum eodem fuit summâ Platonis admiratione; quo nobis praesertim nomine molestius accidit, plene nos ejus sententiam in graviore omni philosophiae loco percipere non posse. Nam qua laude extulerit Platonem, Galenus [1] refert: καίτοι καὶ τοῦ Πλάτωνος θαυμαστὰς γράψαντος, ὡς καὶ ὁ Ποσειδώνιος ἐπισημαίνεται, θαυμάζων τὸν ἄνδρα, καὶ θεῖον ἀποκαλεῖ. Eodem rursus auctore Galeno [2]: ταῦτα καὶ ὁ Ποσειδώνιος μέμφεται, μετὰ τοῦ καὶ θαυμάζειν, ὅσα Πλάτων εἶπεν ὑπὲρ τῆς τῶν παίδων ἔτι τε κυουμένων ἐν τῇ μήτρᾳ διαπλάσεως, ἀποκυηθέντων τε τροφῆς καὶ παιδείας. — Sed, quod laudatoris mirifice laudem auget, non fuit haec in celebrando tantum Platonis nomine diligentia, sed pari jungebatur cognoscendae ejus philosophiae ediscendaeque studio: ut, si a magistro imbutus dicatur initiis hujus philosophiae, ipse ab his initiis orsus, immensum iter confecerit. Accommodavit, exemplo Panaetii, in ceteris quidem permultis Stoicae

1) De Plac. Hipp. et Plat. t. I. l. IV. p. 284. 15. Bakius. Op. l. p. 213. 2) Eod. l. l. V. p. 291. 5. Bakius p. 221.

disciplinae rationem Platonis; sed quum de philosophiae principatu ejusque summa in vitam hominum efficacitate disserebat, tum sine dubio Platonem cogitaverat, atque ex interiore disciplinae ejus perquisitione sententias hauserat omni laude dignissimas. Hoc ille cum esset ingenio, ut non tam natare in superficie, quam in ipsum descendere philosophiae sinum vellet, tanquam fontem rerum maximarum coluit eam, atque commendare conatus est.

Itaque, quod tantum leviter significavimus, id jam defixi in nobili exemplo, servato nobis a Seneca [1]), illustremus. *Illo ergo seculo*, inquit ille, *quod aureum perhibetur, penes sapientes fuisse regnum Posidonius judicat. Hi continebant manus, et infirmiores a validioribus tuebantur: suadebant, dissuadebantque, et utilia atque inutilia monstrabant. Horum prudentia, ne quid deesset suis, providebat; fortitudo arcebat pericula; beneficentia augebat ornabatque subjectos. Officium erat imperare, non regnum. Nemo quantum posset, adversus eos experiebatur, per quos coeperat posse. Nec erat cuiquam aut animus in injuriam, aut caussa: cum bene imperanti bene pareretur, nihilque rex majus minari male parentibus posset, quam ut abiret e regno. Sed postquam, surrepentibus vitiis, in tyrannidem*

1) Ep. 90. Cf. Bakius p. 33. sqq.

regna versa sunt, opus esse coepit legibus, quas et ipsas inter initia tulere sapientes. Solon, qui Athenas aequo jure fundavit, inter septem aevi sapientiâ notos. Lycurgum si eadem aetas tulisset, sacro illi numero accessisset octavus. Zaleuci leges Charondaeque laudantur. Hi non in foro, nec in consultorum atrio, sed in Pythagorae tacito illo sanctoque secessu didicerunt jura, quae florenti tunc Italiae, et per Italiam Graeciae ponerent. — Dolendum est, abrumpi hîc a Seneca jucundissimae narrationis filum, nec concedi nobis, ut telam praestantissime inchoatam a Posidonio, pertextam absolutamque accipiamus. Nam si ab exordio conjecturam capere de totius rei summa licet, gravissimam fecimus jacturam. A principio enim educit nos eo Posidonius, quo si, judice Platone, adducta civitas sit, perfecta censetur. Aureo istud seculo accidisse narrat, ut iidem et *philosophi* essent, et *regna gubernarent:* quod quum obtinebat, optima ac felicissima omnium conditio erat, quodque communi saluti videbatur maxime profuturum, in eo procurando singuli elaborabant. Sic quum id, quod quisque volebat, quoniam esset optimum, apud universos valeret, juris et aequi naturalis erat consuetudo, injustitiae inauditum nomen. Sed quum sensim non principum vitiis, sed populorum imbecillitate mutati in pejus mores essent, et crescente magis malitiâ hominum, nollent amplius bene imperantibus obe-

dire, regnum adeo a tyrannis usurparetur, inventa a *philosophis* ars est, qua concitati in superbiam populi ad meliorem mentem revocarentur. Legibus erat opus, sine quibus reprimi ista vis audaciae non poterat; easque qui ferrent, ex eorum numero fuerunt, quibus erat antea voluntate obtemperatum.

Credibile est, hac via Posidonium ad constituendas civitatum rationes devenisse, idque gravissimum munus omni ex parte *philosophorum* ingeniis ac studiis explendum tradidisse. Instruxisse hos igitur cives suos variis vitae adjumentis, excoluisse ingenia artibusque omnibus ac disciplinis sensim paulatimque ornavisse, ita ut, mutatis imperiis moribusque, nunquam cessarint *philosophi* prodesse civitatibus. *Artium autem genera quatuor esse voluit Posidonius* [1], *ut essent vulgares et sordidae, vel ludicrae, vel pueriles, vel liberales. Vulgares opificum, quae manu constant, et ad instruendam vitam occupatae sunt, in quibus nulla decoris, nulla honesti simulatio est. Ludicrae sunt, quae ad voluptatem oculorum atque aurium tendunt. His annumeres licet machinatores, qui variis artificiis imperitorum feriunt oculos, omnia subita, quorum causas ignorant, mirantium. Pueriles sunt et aliquid habentes liberalibus simile, hae artes, quas ἐγκυ-*

1) Epist. 88.

καλους Graeci, Latini liberales vocant. Solae autem liberales sunt, imo liberae, quibus curae virtus est. Has autem omnes artes, genere ipso diversissimas, inventas *philosophis* deberi, sententia Posidonii fuit; quod Seneca docet, qui in ceteris Posidonio assensus, negat sibi videri *eas artes a philosophia inventas, quibus in quotidiano usu vita utitur* 1), de liberalibus quidem, uti videtur, non magnopere dissentiens.

Uberiorem autem harum rerum mentionem facere, cum certorum testimoniorum vetat inopia, tum a disquisitione nostra longius abest. Caput enim rei attigimus, quod num fuerit ei cum Stoicis commune, de eo merito dubitamus; certe subtilius illa ad artium species deducta quaestio iis minime propria fuit. Quae tamen nec Platonica censenda est: illud a Platone suscepit et egregie exposuit, *a philosophia graviorum artium omnium ac disciplinarum, quae quidem ad humanitatem pertinent, inventionem profectam esse.* Ceterum alia sunt, quae ex eodem fonte hausit, digna quae huic loco subjiciantur. Nam quum philosophiam diceret animali simile esse, cujus partes singulae singulis congruerent philosophiae partibus, ut cum carne et sanguine physicae partis, logicae cum cruribus similitudo esset, ita moralem partem cum anima ipsa comparabat 2). Sed, quem ordinem

1) Epist. 90. 2) Bakius p. 40.

rationemque in illa tradenda secutus sit, ignoramus; nihil nisi excerptim novimus, cujus haec summa nostra erit. Animum hominis, ut Panaetio placuerat, statuit esse mortalem [1]), sed moveri eum agitarique in hac vita diversâ ratione, vires autem illas aut facultates animi diligenter esse philosopho explorandas. Observabat igitur, regi nostros animos triplici motu, τῷ ἐπιθυμητικῷ, τῷ θυμοειδεῖ καὶ τῷ λογιστικῷ. A cupiditatibus et ira perturbationes animi, τὰ πάθη derivabat, significante Galeno [2]): Ὁ Ποσειδώνιος ἐπαινεῖ τε ἅμα καὶ προσίεται τὸ Πλάτωνος δόγμα καὶ ἀντιλέγει τοῖς περὶ τὸν Χρύσιππον, οὔτε κρίσεις εἶναι τὰ πάθη δεικνύων, οὔτε ἐπιγιγνόμενα κρίσεσιν, ἀλλὰ κινήσεις τινὰς ἑτέρων δυνάμεων ἀλόγων, ἃς ὁ Πλάτων ὠνόμασεν ἐπιθυμητικόν τε καὶ θυμοειδές. Longam instituebat de perturbationum causis disputationem, refellendi Chrysippi causâ, in qua Platonem ducem sequebatur, πρεσβεύων αὐτοῦ τάτε περὶ τῶν παθῶν δόγματα καὶ τὰ περὶ τῶν τῆς ψυχῆς δυνάμεων, ἅσα τε περὶ τοῦ μὴ γίνεσθαι τὴν ἀρχὴν, ἢ γενόμενα παύεσθαι τάχιστα τῆς ψυχῆς τὰ πάθη γέγραπται πρὸς αὐτοῦ [3]). Item in sedandis illis sanandisque quae esset rationis vis et efficacitas, comparatione Platonis notissima, qua auriga duos equos regens et in-

1) Wytt. *Disp. de Imm. Animi.* Opusc. t. II. p. 622.
2) Eod. l. V. p. 285. 22. Cf. Bakius p. 195. sqq. 3) Eod. l. IV. p. 284. 15.

hibens describitur, videtur illustrare conatus 1). Quae quum ipsi constaret de facultatibus animi, quas *partes* appellare nolebat 2), sententia, ex hac naturae humanae cognitione omnem, qua late patebat, moralis philosophiae disciplinam ὥσπερ ἐκ μιᾶς μηρίνθου δεδέσθαι docebat. Pertinebant ergo huc quaestiones de bonis et malis, de fine bonorum et de virtutibus. In quibus solvendis qua sit diligentia usus, omnino non constat. Locum quidem de virtutibus aliter atque Panaetius tractavit, non bipartitam sed quadripartitam earum faciens distributionem, ut essent prudentia, fortitudo, justitia, temperantia; in hoc quoque Platoni magistro consentiens 3).

Haec quidem fuit Posidonii philosophia, magnam partem Platonicae quam Stoicae similior 4). Talem eum Cicero Rhodi et disserentem in schola et do-

---

1) Galenus Op. l. V. p. 292. 23. Bakius p. 229. 2) Galenus eod. l. p. 295. 9. Bakius p. 199. 3) Diog. Laert. VII. 92. Bakius p. 189. sqq. 4) Videtur hic monendum, Posidonium in nonnullis placitis id agere studuisse, ut Stoam antiquam, quae a Platone revera dissensisset, conciliaret cum ejus disciplina. Quod attigit Galenus Op. l. IV. p. 279. 35: Ὁ μὲν οὖν Ποσειδώνιος — πειρᾶται μὴ μόνον ἑαυτὸν τοῖς Πλατωνικοῖς, ἀλλὰ καὶ τὸν Κιτιᾶ Ζήνωνα προσάγειν. Memoravimus id, quoniam pariter Philo utramque Academiam, cum veterem tum novam, et vero Antiochus veterem Academiam et Stoam in concordiam redigere voluerunt. Cf. de Posidonio Krug Op. l. p. 369. Ritter Op. l. t. III. p. 684. sqq.

mi disputantem et jucundissimis sermonibus praedicantem Platonis laudes audivit; ut videatur haec Rhodi statio, quae postrema itineris fuit, et finem fecit institutionis, ad excolendum ejus ingenium habuendumque sublimibus sensibus fructuosissima fuisse. Quippe per omne tempus, quod ibi in Musarum consortio degit, clarissimorum virorum Posidonii et Apollonii sic usus est disciplina et familiaritate, ut ab illo deinceps semper vellet institutus videri 1), ab hoc autem, Romam discessurus, honorificentissimum laudis testimonium secum tulerit 2). Postquam enim illi, ut orationis vitia deponeret, plurimam operam navaverat, rogatu Apollonii, quoniam hic Latine nesciret, Graece aliquando declamare multis audientibus est orsus. Qui cum admirari non satis tantae vim eloquentiae possent, continuisque laudibus approbationem suam significassent, Apollonius nec dicente eo signum aliquod laetitiae prae se tulit, nec perorantem laudavit omnino, sed diu in se conversus considebat. Quod aegre ferente Cicerone, tandem ille: *te quidem*, inquit, *Cicero, laudo et admiror, sed Graeciae vicem deploro, quum video, quae sola nobis superessent ornamenta, literas et eloquentiam, ea quoque per te Romanorum gloriae accedere.*

---

1) De Nat. D. I. 3. 44. — De Fin. I. 5. Posidonium *familiarem suum*. De Fato c. 3. *suum magistrum* vocat.
2) Plut. *Vita Cic.* c 4. Cf. Arctinus in *Cic. novo* c. 9.

Hoc quidem fuit Apollonii de Cicerone judicium. Quo ille mirifice gavisus, postquam biennium abfuerat, Romam rediit, non modo exercitatior, ut ait ipse, sed prope mutatus. Nam et contentio nimia vocis resederat, et quasi deferverat oratio, lateribusque vires, et corpori mediocris habitus accesserat 1).

1) Brutus c. 91.

CAPUT III.

M. TULLII CICERONIS SCRIPTA IN PRIMIS ORATORIA.

Ab anno aetatis tricesimo ad sextum et quadragesimum.

Venio nunc ad locum gravissimum, ad quem recte tractandum omnis nos superior disquisitio instruxisse ac praeparasse videtur. Agendum de scriptis Ciceronis, ut ex his intelligamus potissimum, quis Ciceronianae fuerit philosophiae fons praecipuus. Quod quo rectius adsequeremur, neque opinionis levitate aberraremus a vero, de indole egimus viri, tum de puerili institutione ac literarum studiis, ac tandem de doctoribus, quibus ad excolendam philosophiam usus est. Haec autem cuncta considerans, non mirarer profecto, si eo valuissent apud Ciceronem, ut amor Platonis in ejus animo a pueris accenderetur.

Vidimus enim, quod, monente Plutarcho, augurabamur quodammodo, indolem ejus talem fuisse, qualem Plato ad tractandam philosophiam ap-

tam in primis idoneamque judicavit. Inerat ipsi naturâ ejusmodi discendi cognoscendique studium, ut nullas artes contemneret ingenuo dignas, omnes excolere pari industria atque ardore niteretur. Γενόμενος γὰρ οἷος ἀσπάζεσθαι πᾶν μάθημα, καὶ μηδὲν λόγου, μηδὲ παιδείας ἀτιμάζειν εἶδος, ἐῤῥύη πως προθυμότερον ἐπὶ ποιητικήν. Astronomiae studium, quod ruris excitabat amoenitas, cepit ex his poeticis lusibus incrementa. Deinde postquam arma tractare instituerat, dedit juri civili operam, auctorum Graecorum scripta ac Latinorum assiduâ versabat manu, atque his delectatus nutritusque exemplis, incredibili concitatus ardore, ad philosophiam et eloquentiam se applicuit; in quarum deinceps studiis ita versatus est, ut legendi commentandique nunquam intermissâ consuetudine, cum exercitationibus oratoriis usuque fori aliarum artium conjunxerit disciplinam. Itaque in mathematicis, in musicis, in geometria institutus, disciplinae varietate acquisitam doctrinam perpolire et consummare studuit, suscepitque in Graeciam et Asiam unum in paucis maxime memorabile iter.

Et vero Cicero in hoc studiorum suorum cursu, ad quae philosopha eum indoles rapiebat, egregias habuit disciplinae magistrorumque opportunitates. Ejus enim felicitas juventutis fuit, quod non solum Crasso et Antonio, liberalissimi ingenii viris, puerilis institutio committebatur, sed etiam quod summi quique e Graecia doctores, Romam peten-

tes, juvenile ejus ingenium flectere et optimis praeceptis alere ac conformare aggrediebantur. In quorum numero Archias, Diodotus et Apollonius fuere. Civilis autem prudentiae principia, domesticam gloriam, a quibus tandem poterat, quam ab utroque Scaevola melius interiusque percipere? Postremo philosophia ejusque doctores attendendi sunt. Nam cum, superiore aetate, concertatione artibusque philosophorum, inusta philosophiae esset turpis depravationis nota, quae per omnes ipsius partes ingravescebat, ut dimicandi contentio veritatis amorem tolleret: contra nunc, sedatis maximis discordiis, sereno ipsa vultu auctoritatem sibi suam dignitatemque a gravissimis viris restitutam videbat. Instauratae sunt ad antiquam Platonis rationem singularum sectarum sententiae, quique earum principes censebantur, honorabant illam ac tuebantur. Sic Philo Romae, Athenis Antiochus, Rhodi Posidonius, suam quique viam tenentes, communi jungebantur Platonis amore, quem scriptis ac disciplina communicare cum aliis et propagare studebant. Cicero igitur, triumviris illis usus magistris, ordine quodam ac progressione hausit ex eorum institutione totam philosophiam. Etenim, ut vidimus, eo valuit Philoniana ratio, ut ethicae praesertim philosophiae perciperet vim et ubertatem, ex ipsis ductam Platonis fontibus; Antiochea, qualiscunque fuerit, confirmare illam disciplinam potuit; Posidoniana autem ratio, latius patens, et singulari eru-

ditionis copiâ instructa, una effecisse maxime videtur, ut Cicero, variarum artium cognitione excultus, earum omnium fontem uberrimum foecundissimamque parentem, philosophiam esse existimaret.

His instructus naturae, institutionis, temporumque praesidiis atque adjumentis, Cicero se ad rempublicam contulit. In qua administranda quemadmodum versatus sit, historicis enarrandum judicandumque relinquimus. Cum vero ab hoc inde tempore publice dicere ac scripta edere coeperit, horum jam est ducenda ratio, ut aliquando pateat, quis ei in illis condendis praecipuus fons fuisse videatur. Suspicari quidem (nam quidni fateamur?) quodammodo possumus, Platonis ei potissimum, quoties meditaretur, in mentem venisse, affirmare vero nondum licet. Sed, age, continuo in viam nos demus.

Libri de Inventione.

Mirabitur forte quispiam, nos, quum acturi de iis scriptis Ciceronis simus, quae famâ sunt maxime nobilitata, in ipso ingressu disquisitionis nostrae libros *de Inventione* ponere. Quos nec magni habere solent, qui suo pretio Ciceronis ingenium aestimare volunt, neque adeo ipse auctor praecipue commendavit, quum eos postea puero sibi aut adolescentulo inchoatos ac rudes e commentariolis exci-

disse dixerit [1]). Quod etsi recte viderint omnes, tamen ab illis libris nostram ordiri disputationem non sine causa videmur. Nam ut recedit ab instituti nostri proposito eorum argumentum, quoniam Ciceronem philosophum, non rhetorem spectamus, sic contra accedit quodammodo propius eodem ipsius auctoris ratio. Nos quidem ante, quam inde notatu digniora sumamus, paucis oportet cum de origine librorum, tum de ratione exponere.

Compositi libri *de Inventione* videntur, quo tempore Cicero, multarum artium disciplina imbutus, cognoscere Philonem coepit. Hac aetate, quum artem Rhetoricam praeceptis quibusdam multâque veterum lectione percepisset, instituit doctrinam suam scriptis digerere et ordini cuidam adstringere. Faciebat id sine dubio exercitationis causâ, quo copiam facultatemque sibi scribendi pararet. Verum tamen non hanc unam causam ei puto scribendi fuisse, nec mirarer, hac quoque eum spe id consilii cepisse, ut Quintum fratrem, quocum ei in ceteris praecipueque in poesi magna erat studiorum consensio, ad hanc artem, quam fugiebat, addiscendam impelleret. Is enim jocari solebat, videri sibi unum non modo in una familia satis

1) De Orat. l. 2. Cf. Quinctil. Inst. Orat. l. III. c. 1. *Praecipuum lumen sicut eloquentiae, ita praeceptis quoque ejus dedit unicum apud nos specimen orandi, docendique oratorias artes, M. Tullius; post quem tacere modestissimum foret, nisi et rhetoricos suos ipse adolescentiâ sibi elapsos diceret, et in oratoriis haec minora, quae plerique desiderant, sciens omisisset.* Cf. c. 5. l. III. 16.

esse rhetorem, sed paene in tota civitate. Quo refertur illud Marci, post confectos de Oratore libros 1): *nec vero te, carissime frater atque optime, rhetoricis nunc quibusdam libris, quos tu agrestes putas, insequor ut erudiam.*

Istud autem opus, in libros, ut videtur, quatuor divisum, Graeco nomine *Rhetoricen* appellaverat 2), neque in manus hominum perferre curans, in commentariis seposuerat. Deinde tamen ab uno alteroque flagitatus, ista ut in lucem mitteret, duos priores libros, in quibus de inventione agebatur, seorsim edidit, reliquos, sive ipse nollet, sive eos niemo omnino posceret, servavit in commentariis. Haec quidem aliqua probabilitate de juvenili opere possunt disputari. Quod autem rationem attinet, qua conscriptum est, refert illa plane cum scriptoris aetatem atque ingenium, tum aevum nondum liberaliore doctrinae genere excultum. Scripsit enim hos libros adolescentulus Cicero, ita tamen ut, quamvis exploratas haberet Aristotelis aliorumque de arte rhetorica sententias, mallet Hermagoram, celeberrimum rhetorem, qui de iisdem re-

1) De Orat. II 3. 2) Testatur Quinct. Inst. Orat. II. 14. *Cum M. Tullius etiam ipsis librorum, quos hac de re (de rhetorice) primum scripserat, titulis, Graeco nomine utatur, profecto non est verendum, ne temere videamur oratori maximo de nomine artis suae credidisse.* Cf. III. 5. (6.) ibique Spalding. Schutz. *Prooem. in Cic. Rhetorica.* Ed. Cic. t. I. p. 64 sqq. Ersch *Encycl.* t. XVII. p. 207. Bähr. Op. l. p. 373.

bus optime omnium, ut rhetor tamen, scripserat, ipsis vestigiis sequi. Videtur etiam auctorem *Rhetoricorum ad Herennium*, qui eodem de fonte suas copias hauserat, plerumque consuluisse, quod exempla docent multa utrique communia et poetarum loca perverse ab utroque explicata. Verum tamen ista plurima imitatio, quae ingenii est cauti sibique valde diffidentis, non impedit tamen, quominus in his scriptis agnoscamus virum, qui periclitari ingenii vires, animumque e scholae umbra in lucem libertatemque vindicare nitatur. Idque sola eorum comparatio cum *Rhetoricis ad Herennium* abunde probat. Quorum si auctor habendus sit rhetor Gnipho 1), vir ingenii magni, nec minus

1) Egregia haec est Schutzii conjectura, quam valde probabilem effecit. Placuit aliis, etiam Fuhrmanno, novis argumentis rem certiorem facere conanti; quibus argumentis istud possit addi, quod fugit Schutzium, utriusque (Gniphonis et Auctoris ad Herennium) scribendi diligentiam comparantem. Nam quod incertus ille auctor *de re militari et de administratione reip.* (l. III. 3) scripturum se profitetur, praecipue in Gniphonem cadit, qui quum doceret in C. Caesaris domo, eumque puerum institutione erudiret privatâ, utiliorem operam suscipere nullam poterat, quam si scribendo de arte militari et reip. administratione discipulum excitaret ad res et foris fortiter et prudenter domi gerendas. Ceterum recte animadvertit Fuhrmannus, omne dubium sublatum fuisse, si Gniphonem praecipuam philosophiae operam navasse constaret; quod ne attigit quidem Schutzius: neque tamen Suetonii negligentiae tribui potest, qui sedulo ubivis in memorandis Grammaticis et Rhetoribus philosophiae studia referre solet. Cff. Schutz. l. l. p.

Graece quam Latine doctus, idemque praeceptor Ciceronis, longo sane intervallo, si formam operum spectes, magister a discipulo relinquitur. Ac licet verum sit, quod ait Quinctilianus [1], sic de libris *de Inventione existimari debere, ut velut regestae sint in hos commentarios, quas adolescens deduxerat, scholae*, videmus eum tamen subinde non solum ab Hermagora, duce suo, verum etiam in re sane satis gravi ab Aristotele discedere [2].

Refert autem universe opus Rhetorum jejunitatem, quorum fere disciplina definiendo, partiendo, demonstrando absolvebatur; veruntamen loca idem continet, in quibus cum Philonis auditorem, tum Socraticorum studiosum juvenem, tum vero ipsius etiam Platonis amantissimum agnoscamus.

Primum Philo nobis occurrit, cujus institutione utens, hos rhetoricos libros composuit. Sententiam ejus de morali philosophia, quam ex Stobaeo supra memoravimus [3], videtur non modo recte cepisse, sed egregie quoque ad argumenti sui intelligentiam adhibuisse. Sic enim dicit [4]: » Ut medici officium

57. sqq. Fuhrmann Op. l. t. II. p. 88 sqq. Ersch *Encycl.* l. l. p. 207 sqq. Morgenstern, *Comment. de Artе Veterum Mnemonica*, P. I. p. 12. Ed. 2. Dorpati. 1835.

1) Inst. Orat. III. 6. 2) Veluti de Inv. I. 6. 10. II. 52. 3) p. 78. 4) L. I. c. 5. Egregie postea Philonis discipulum se probavit Cicero, quum magistri disciplinam sic in Tusc. Quaest. III. 6. exprimeret: *Est profecto animi medicina philosophia.* Cf. l. III. 1. Ex eadem porro fluxere ea, quae Ep. ad Att. l. VI. 1. leguntur: *Ut, si medicus, quum aegrotus alii medico traditus sit, irasci*

dicimus esse, curare ad sanandum apposite; finem, sanare curatione: item oratoris quid officium et quid finem esse dicamus, intelligemus, quum id, quod facere debet, officium esse dicemus: illud, cujus causa facere debet, finem appellabimus. — Ut si medicinae materiam dicamus morbos ac vulnera, quod in his omnis medicina versetur: item, quibus in rebus versatur ars, et facultas oratoria, eas res materiam artis rhetoricae nominamus." Porro c. 38. „ Ut ex medicina nihil oportet putare proficisci, nisi quod ad corporis utilitatem spectet, quoniam ejus causa est instituta: sic a legibus nihil convenit arbitrari, nisi quod reipublicae conducat, proficisci: quoniam ejus causâ sunt comparatae." Ex his perspicitur facile, a Philone profecisse Ciceronem. Quemadmodum enim ille, usus medicinae comparatione, Socraticam philosophandi rationem illustrare solebat, sic Cicero ejusdem imaginis opportunitate materiam, officium finemque artis oratoriae studuit indicare.

Sed egregie idem in his libris probavit, diligenter se lectitasse Socraticos, et in promtu semper habuisse, quae ex eorum scriptis exempla afferret, maluisseque omnino eorum, a quibus inventae disciplinae essent, fontes adire, quam ad rivulos inde a rhetoribus deductos consistere. Velut illud est,

---

velit ei medico, qui sibi successerit, si, quae ipse in curando constituerit, mutet ille. —

quum de dialectica agens, diversasque Socraticorum et Petipateticorum rationes exhibens, petit ex Aeschine Socratico sermonem Aspasiae cum Xenophonte hujusque uxore habitum [1]). Quem a se conversum locum ita proponit, ut quamvis ex eo tota vis ἐπαγωγῆς Socraticae non pateat, tamen declaret, vel hac aetate hospitem se in iis rebus non fuisse. Quare totum apponamus locum, quo magis in eo elegantem Aeschineae orationis interpretem agnoscamus. » Inductio, inquit, est oratio, quae rebus non dubiis captat assensiones ejus, quicum instituta est: quibus assensionibus facit, ut illi dubia quaedam res, propter similitudinem earum rerum, quibus assensit, probetur: velut apud Socraticum Aeschinem demonstrat Socrates, cum Xenophontis uxore et cum ipso Xenophonte Aspasiam locutam. Dic mihi, quaeso, Xenophontis uxor, si vicina tua melius habeat aurum, quam tu habes, utrum illius an tuum malis? — Illius, inquit. — Quid si vestem et ceterum ornatum muliebrem pretii majoris habeat, quam tu habes, tuumne an illius malis? — Illius, respondit. — Age vero, si virum illa meliorem habeat, quam tu habes, utrum tuum malis an illius? — Hic mulier erubuit. Aspasia autem cum ipso Xenophonte sermonem instituit. Quaeso, inquit, Xenophon, si vicinus tuus equum meliorem habeat, quam tuus est,

1) De Inv. I. 31. 35.

tuumne equum malis an illius? — Illius, inquit. — Quid si fundum meliorem habeat, quam tu habes, utrum tandem fundum habere malis? — Illum, inquit, meliorem scilicet. — Quid si uxorem meliorem habeat, quam tu habes, utram malis? — Atque hic Xenophon quoque ipse tacuit. Post Aspasia: quoniam uterque vestrum, inquit, id mihi solum non respondit, quod ego solum audire volueram, egomet dicam, quid uterque cogitet. Nam et tu, mulier, optimum virum vis habere, et tu, Xenophon, uxorem habere lectissimam maxime vis. Quare nisi hoc perfeceritis, ut neque vir melior, neque femina lectior in terris sit, profecto id semper, quod optimum putabitis esse, multo maxime requiretis, tu, ut maritus sis quam optimae, haec, ut quam optimo viro nupta sit. — Hoc modo sermonis plurimum Socrates usus est, propterea quod nihil ipse afferre ad persuadendum volebat, sed ex eo, quod sibi ille dederat, quicum disputabat, aliquid conficere malebat, quod ille ex eo, quod jam concessisset, necessario approbare deberet. — Hoc genus argumentandi, quod per inductionem sumitur, maxime Socrates et Socratici pertractarunt " 1).

1) De Inv. l. c. 31. 35. Quinct. Inst. Or. l. V. c. 11. De Vuller, in accurata *Disp. de Socr. ἐπαγωγῇ* p. 115. sqq. Videtur Cicero sensisse quidem recte hanc Socraticam methodum, sed minus recte fecisse, quod illam ad artis regulam adstringere vellet. Nam praecepta illa, quae c. 32.

Postremo vero loco animadvertimus, Ciceronem studio Platonis imbutum, ad hujus operis scriptionem accessisse. Cujus rei vestigia non difficile est invenire. Vix enim in prooemium incidimus, cum continuo nobis adolescens apparet, in cujus ingenio inest philosophia quaedam. Diu multumque secum deliberaverat, bonine plus an mali eloquentiae studium civitatibus attulisset: diu autem cogitantem ratio ipsa in eam sententiam duxerat, ut existimaret, *sapientiam sine eloquentia parum prodesse civitatibus, eloquentiam vero sine sapientia nimium obesse: plerumque, prodesse nunquam* 1). Quam praeclaram sententiam, qua rem ipsam acu tetigit, quis non videt e Platonis *Phaedro* ac *Gorgia* ductam esse et expressam. Id enim Socrati apud Platonem in his dialogis proprium, ut artem omnem contemnat, nisi quae cum virtutis sapientiaeque studio conjuncta sit. Deinde diligenter id explorans, duplex principium, boni ac mali, invenit; qua in re proponenda rursus ipsi Platonica philosophia videtur dux fuisse. Nam in origine ac progressione eloquentiae adumbranda ita incipit 2): » Nam fuit quoddam tempus, quum in agris homines passim bestiarum more vagabantur et sibi victu fero vitam propagabant; nec ratione animi quidquam, sed pleraque viribus corporis ad-

tradit, prorsus scholam redolent, et quod ex civili causarum genere exemplum petit c. 33., difficulter ex eo nativam Socratis rationem assequeris. 1) De Inv. I. 1. 2) C. 2.

ministrabant. Nondum divinae religionis, non humani officii ratio colebatur: nemo legitimas viderat nuptias: non certos quisquam aspexerat liberos; non, jus aequabile quid utilitatis haberet, acceperat. — *Quo tempore quidam magnus videlicet vir et sapiens cognovit, quae materia et quanta ad maximas res opportunitas inesset in animis hominum, si quis eam posset elicere, et praecipiendo meliorem reddere.*" — Colorem haec, ni fallor; duxerunt ex pulcherrima illa fabula, quam Plato in *Protagora* narravit, cujus simile est exordium: Ἦν γάρ ποτε χρόνος. Quamquam Cicero, quem constat interpretatum Latine Protagoram esse [1], fabulam ejus hoc loco respiciens, ad suum consilium totam mutavit et accommodavit. — Tum vero deinde, ubi abusum eloquentiae, et quantopere haec ars, sejuncta a sapientia, civitatibus nocuerit, probat, sic disserit [2]: » Postquam vero calliditas quaedam, prava virtutis imitatrix, sine ratione officii, dicendi copiam consecuta est, tum ingenio freta malitia pervertere urbes, et vitas hominum labefactare assuevit. — Nam quum in dicendo saepe par, nonnunquam etiam superior visus esset is, qui omisso studio sapientiae, nihil sibi praeter eloquentiam comparasset, fiebat ut et multitudinis et suo judicio dignus, qui rempublicam gereret, videretur. *Hinc nimirum non injuriâ, quum ad*

1) Supra p. 92. 2) De Inv. I. 3.

gubernacula reipublicae temerarii atque audaces homines accesserant, maxima ac miserrima naufragia fiebant. Quibus rebus tantum odii atque invidiae suscepit eloquentia, ut homines ingeniosissimi, quasi ex aliqua turbida tempestate in portum, sic ex seditiosa et tumultuosa vita se in studium aliquod traderent quietum. Quare mihi videntur postea cetera studia recta atque honesta, per otium concelebrata ab optimis, enituisse: *hoc vero a plerisque eorum desertum, obsolevisse eo tempore*, quo multo vehementius erat retinendum, et studiosius adaugendum. Nam quo indignius rem honestissimam et rectissimam violabat stultorum et improborum temeritas et audacia, summo cum reipublicae detrimento, eo studiosius et illis resistendum fuit, et reipublicae consulendum." In his omnino Platonicum illud, longe celebratissimum, ipsi ob oculos versatum videtur, quo politicorum ac sophistarum artes, imagine nautarum gubernaculum navis tenere cupientium, quum ignorent gubernandi artem, exponuntur [1]: tum illud in primis [2]: Πάνσμικρον δή τι λείπεται τῶν κατ' ἀξίαν ὁμιλούντων φιλοσοφίᾳ, ἤ που ἀπὸ φυγῆς καταλειφθὲν [3] γενναῖον καὶ εὖ τεθραμμένον ἦθος, ἀπορίᾳ τῶν διαφθερούντων κατὰ φύσιν μεῖναν ἐπ' αὐτῇ, ἢ ἐν σμικρᾷ πόλει ὅταν μεγάλη ψυχὴ φυῇ καὶ ἀτιμάσασα τὰ τῆς πόλεως ὑπερίδῃ· βραχὺ δὲ πού τι καὶ ἀπ' ἄλλης τέχ-

1) Rep. VI. p. 488. 2) Eod. l. p. 496. 3) Cf. De Geer Diatr. in Pol. Plat. p. 63 not.

νης δικαίως ἀτιμάσαν εὐφυὲς ἐπ' αὐτὴν ἂν ἔλθοι [1]). — Καὶ τούτων δὴ τῶν ὀλίγων οἱ γευόμενοι καὶ γευσάμενοι ὡς ἡδὺ καὶ μακάριον τὸ κτῆμα, καὶ τῶν πολλῶν αὖ ἱκανῶς ἰδόντες τὴν μανίαν, καὶ ὅτι οὐδεὶς οὐδὲν ὑγιὲς ὡς ἔπος εἰπεῖν περὶ τὰ τῶν πόλεων πράττει — ταῦτα πάντα λογισμῷ λαβὼν, ἡσυχίαν ἔχων καὶ τὰ αὐτοῦ πράττων, οἷον ἐν χειμῶνι κονιορτοῦ καὶ ζάλης ὑπὸ πνεύματος φερομένου ὑπὸ τειχίον ἀποστάς, ὁρῶν τοὺς ἄλλους καταπιμπλαμένους ἀνομίας, ἀγαπᾶ. — Οὗτοι μὲν δὴ οὕτως ἐκπίπτοντες, οἷς μάλιστα προσήκει, ἔρημον καὶ ἀτελῆ φιλοσοφίαν λείποντες αὐτοί τε βίον οὐ προσήκοντα οὐδ' ἀληθῆ ζῶσι· τὴν δὲ ἄλλοι ἐπεισελθόντες ἀνάξιοι ἧσχυνάν τε καὶ ὀνείδη περιῆψαν [2]).

Denique, quod in fine prooemii [3]) habetur: »Ac mihi quidem videntur homines, quum multis rebus humiliores et infirmiores sint, hac re maxime bes-

1) In hoc loco corrigendo multum versati sunt Interpp. quorum operâ num sanatus sit, alii videant: mihi quidem comparanti similem locum p. 486. E. διάνοιαν, ἣν ἐπὶ τὴν τοῦ ὄντος ἰδέαν ἑκάστου τὸ αὐτοφυὲς εὐάγωγον παρέξει, nata suspicio est, legi oportere — τὸ εὐφυὲς ἐπ' αὐτὴν ἂν ἔλκοι: hoc sensu: *parvam quoque hominum partem a ceteris artibus, quas merito contemnere coepere, praeclara indoles ad illam pertraxerit.* Similiter Cicero universe de natura: » nunc parvulos nobis dedit igniculos, quos celeriter malis moribus opinionibusque sic restinguimus, ut nusquam naturae lumen appareat. Sunt enim ingeniis nostris semina innata virtutum; quae si adolescere liceret, *ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret.*" Tusc. I!I. 1. In quibus turpe latet vitium: *parvulos igniculos.* Scripsit Cicero, de patris mei conjectura: *parvulis.* 2) Eod. l. p. 495. 3) C. 4.

tiis praestare, quod loqui possunt. Quare praeclarum mihi quiddam videtur adeptus is, qui qua re homines bestiis praestant, ea in re hominibus ipsis antecellat. *Hoc si forte non natura modo, neque exercitatione conficitur, verum etiam artificio quodam comparatur*, non alienum est videre, quid dicant ii, qui quaedam ejus rei praecepta reliquere: " hoc, inquam, postremum, in quo tria illa φύσις, μελέτη, τέχνη ad eloquentiam requiruntur, *Phaedrum* nobis rursus referunt.

Neque vero in praeclaro tantum operis prooemio, sed in ipso etiam opere sententiae exstant, in quibus philosophiae Platonicae studium conspicitur. Ut autem cetera minora mittamus, attendendum est praecipue libri secundi de Zeuxidis Helenâ initium, quod non apponemus, quoniam et longiusculum est, et ob magnam ejus praestantiam facile unicuivis notum. Sed quo est celebratius, eo quoque attentius considerandum est. Cicero enim expositurus, quomodo sit in tractanda rhetorica arte versatus, non rhetorico quodam ingressu disputationis utitur, sed mente concipit istiusmodi imaginem, quae nonnisi a philosophi ingenio concipi, nec nisi e Platonica philosophia duci potuit. Tralatitium plane negotium est, quod indicare studet. Hujus enim condendi operis causâ, dicit se omnes unum in locum coegisse scriptores, quod quisque commodissime praecipere videretur, excerpsisse et ex variis ingeniis libavisse excellentissima quaeque.

Verum id elegantissima ratione proponere cogitanti, sponte ejus menti succurrebat celebris cujusdam de Zeuxide narrandae traditionis opportunitas. Zeuxis enim, rogatus a Crotoniatis, ut templum Junonis exornaret egregiis picturis, Helenae quoque se pingere simulacrum velle dixit, quo excellentem muliebris formae pulcritudinem muta in sese imago contineret. Ille autem, qui verissimum pulcritudinis habere judicium existimabatur, quinque virgines formosissimas delegit, *ut mutum in simulacrum ex animali exemplo veritas transferretur.* Neque enim putavit, omnia, quae quaereret ad venustatem, uno in corpore se reperire posse, ideo quod nihil simplici in genere omnibus ex partibus perfectum natura expolivisset. Nondum expressit illa narratione Cicero sublimitatem Platonicae doctrinae, quam provectioni demum aetas rite capere potuit, sed maturioris intelligentiae hic jam velut primordia quaedam animadvertere licet. Postea igitur, ut perfectum philosophum Plato, ipse perfectum oratorem, qualem nulla adspexerat aetas, descripsit; nunc vero, accedens jam quodammodo ad idearum doctrinam, Zeuxidis exemplo usus est, qui Helenae simulacrum expressurus, id data opera agebat, ut ex formosissimis virginibus παράδειγμα quoddam verae pulcritudinis mente sibi repraesentaret. Nam quum in singulis corporibus omnia, quae quaereret ad venustatem, non inveniret, plura elegit corpora, ut e singulis singula per-

fecta, ex universis autem perfectissimam speciem verissimamque pulcritudinem animo asseque-retur.

Sic igitur, quod operae pretium est animadvertere, in his rudibus inchoatisque praestantioris disciplinae elementis, quae a Cicerone puero aut adolescentulo conflata, e commentariis exciderunt, juvenem jam statim φιλοπλάτωνα agnoscimus.

Oratio pro S. Roscio Amerino ac Verrinae.

Cicero, ut Philoni operam navans in juventute sua libros composuerat de arte rhetorica, ita magis magisque per magistrum illum suum Platonicâ philosophiâ imbutus, ad lectionem assiduam Platonis incubuit. Quare quis, consideratis iis, quae in rudi opere vestigia illius lectionis exstant, ingenti adductus exspectatione, orationes aggredietur, ibi se sperans praesertim inventurum, quae in rhetorico scripto minus, si abfuissent, desiderasset. Verum fallet eum opinio, si eo, quo sunt habitae ordine, explorare orationes volet. Non ita continuo Cicero, quamvis Platoni in dies amicior ac familiarior factus, in orationibus, quas de rebus judiciariis et civilibus habuit, Platonis philosophiam dicendo adhibuit. Aliud enim est, opus literarium otio componere, ubi rerum omnium usus suppetit, scribendique libertas doctrinae supellectilem et varietatem lectionis ad-

mittit; aliud, in forum sic prodire, ut oratio ingenium referat, philosophiae ubertate imbutum. Huc valet diuturnus usus forensis, multa domestica exercitatio, legendi et meditandi assiduitas.

Haec cum ita sint, videbimus, Ciceronem tam deinuna vim, quam in ipsius animum philosophia Platonis habuit, explicuisse, quum pro Murena et Archia dicens, de literarum et philosophiae studiis liberius ageret. Sed idem tamen juvenili aetate, annos fere viginti sex natus, quum pro S. Roscio Amerino, ac deinde in Verrem verba faceret, palam fecit omnibus, non ex vulgari se esse oratorum numero, sed optimarum artium studiis excultum. Talem se probavit in Rosciano judicio, in quo veterum Graecorum Latinorumque poetarum usum atque peritiam egregie prodidit, atque ad vitae usum pertinere ea, quae in fabulis traderentur, optime perspexit. Velut illud est, quod illustrandae rei causâ affert [1]: » Ecquid tandem tibi videtur, ut ad fabulas veniamus, senex ille Caecilianus minoris facere Eutychum, filium rusticum, quam illum alterum, Chaerestratum? (nam, ut opinor, hoc nomine est;) alterum in urbe secum honoris causâ habere? alterum rus supplicii causa relegasse? — Nam homines notos sumere, odiosum est, et nemo vobis magis notus futurus sit, quam est hic Eutychus, et certe ad rem nihil interest,

1) Pro Rosc. Am. c. 16.

utrum hunc ego comicum adolescentem, an illum quem ex agro Vejente nominem. *Etenim haec conficta arbitror a poetis esse, ut effictos nostros mores in alienis personis, expressamque imaginem nostrae vitae quotidianae videremus.*" Similiter etiam deinceps [1]: » videtisne, inquit, quos nobis poetae tradiderunt, patris ulciscendi causa, supplicium de matre sumsisse, cum praesertim Deorum immortalium jussis atque oraculis id fecisse dicantur, tamen ut eos agitent Furiae, neque consistere usquam patiantur, quod ne pii quidem sine scelere esse potuerunt? Sic se res habet, judices. Magnam vim, magnam necessitatem, magnam possidet religionem paternus maternusque sanguis: ex quo si qua macula concepta est, non modo elui non potest, verum usque eo permanat ad animum, ut summus furor atque amentia consequatur. *Nolite enim putare, quemadmodum in fabulis saepenumero videtis, eos, qui aliquid impie scelerateque commiserint, agitari et perterreri Furiarum taedis ardentibus. Sua quemque fraus, et suus terror maxime vexat: suum quemque scelus agitat, amentiaque afficit: suae malae cogitationes conscientiaeque animi terrent. Hae sunt, impiis assiduae domesticaeque Furiae: quae dies noctesque parentum poenas a sceleratissimis filiis repetant.*" Hunc locum gravitate

1) Eod l. c. 24.

in primis insignem, in oratione in Pisonem 1) atque in libris de Legibus 2) iteravit. Ducta autem sententia est non solum e poetarum, maximeque Sophoclis lectione, sed etiam ex Aeschinis oratione in Timarchum 3), quam uti et ceteras alierum studiose legere solebat.

Sed animadvertamus jam porro, quod in utraque causa, Rosciana et Verrina, nostra maxime refert. Excellit enim ac dominatur in iis acerrimum justi studium, quo potissimum ductus Cicero, innocentium vitam atque fortunas adversus vim et audaciam profligatorum hominum defendendas suscepit: atque id, pro Roscio dicens, praestare est ausus, quod ceteri oratores aetate majores ac dignitate principes periculi metu recusaverant 4). Suntque egregii hi excelsique justitiae sensus, qui in Cicerone adolescente vigebant, et quos in judiciis libere expressit, eo nobis magis animadvertendi, quod corroborati fuisse tractando Platone videantur. Hoc ipse orator postea sensit, quum ita diceret 5): » Nos enim nec subito coepimus philosophari, nec mediocrem a primo tempore aetatis in eo studio operam curamque consumpsimus, et tanto minime videbamur, tum maxime philosophabamur; quod et orationes declarant, refertae philosophorum sententiis, et doctissimorum homi-

1) C. 20. 2) L. I. c. 14. 3) C. 27. 6. 4) V. Supra p. 100. 5) De Nat. D. l. I. c. 4.

nam familiaritates, quibus semper domus nostra floruit; et si omnia philosophiae praecepta referuntur ad vitam, arbitramur nos et publicis et privatis in rebus ea praestitisse, quae ratio et doctrina praescripserit." Non igitur aucupandae tantum gloriae causâ, ut fuerunt qui dicerent [1]), ancipitem causam suscepit, sed impulsu animi fortiore honestum certamen inire maluit et cavere, ne innocentium vita praeda scelestorum hominum fieret, quam in tanta calamitate cum ceteris suae prospicere saluti.

Eandem praeclarae indolis virtutem et fortitudinem in Verrinis ostendit. Habuit eas diu post illam primam pro Roscio causam, non modo exercitatior in dicendo, sed doctior ac prudentior factus. Atque observanda hîc nobis primum est singularis quaedam humanitas viri, quam, dicturus in Verrem, in ipsius causae exordio profert. Nam cum esset accusandus is, qui, omni sceleri obstrictus, violaverat sanctissima jura, seque in omnem nequitiam abjecerat, videmus eum invitum accedere ad accusandum, ac, suscepto onere, malle tamen videri opitulari innocentibus, quam in hominis perniciem eloquentiâ abuti. Sed audiendus est ipse, ut pateat, non rhetorum eum more de summa vi dicendi existimare, sed ut virum decet, optimorum oratorum exemplis ac vestigiis inhaeren-

1) Plut. Vita. Cic. c. 3.

tem 1): »Si quis vestrum, judices, inquit, aut eorum qui adsunt, forte miratur, me, qui tot annos in causis judiciisque publicis ita sim versatus, ut defenderim multos, laeserim neminem, subito nunc mutata voluntate, ad accusandum descenderim: is, si mei consilii causam rationemque cognoverit, una et id, quod facio, probabit, et in hac causa profecto neminem praeponendum esse mihi actorem putabit. Quum quaestor in Sicilia fuissem, itaque ex ea provincia decessissem, ut Siculis omnibus jucundam diuturnamque memoriam quaesturae nominisque mei relinquerem: factum est, ut quum summum in veteribus patronis multis, tum nonnullum etiam in me praesidium suis fortunis constitutum esse arbitrarentur. Qui nunc populati atque vexati, cuncti ad me publice saepe venerunt, ut suarum fortunarum omnium causam defensionemque susciperem. Tuli graviter et acerbe, judices, in eum me locum adduci, ut aut eos homines spes falleret, qui opem a me atque auxilium petissent: aut ego, qui me ad defendendos homines ab ineunte adolescentia dedissem, tempore atque officio coactus ad accusandum traducerer. Adductus sum officio, fide, misericordia, multorum bonorum exemplo, veteri consuetudine institutoque majorum, ut onus hoc laboris atque officii, non ex meo, sed ex meorum necessariorum

1) Divin. in Q. Caecilium c. 1. 2. Cf. Verr. II. 2. 73.

tempore, mihi suscipiendum putarem. *Quo in negotio tamen illa me res, judices, consolatur, quod haec, quae videtur esse accusatio mea, non potius accusatio, quam defensio est existimanda. Defendo enim multos mortales, multas civitates, provinciam Siciliam totam. Quamobrem, si mihi unus est accusandus, propemodum manere in instituto meo videor, et non omnino a defendendis hominibus sublevandisque discedere.* Quod si hanc causam tam idoneam, tam illustrem, tam gravem non haberem, si aut hoc a me Siculi non petissent, aut mihi cum Siculis causa tantae necessitudinis non intercederet, et hoc, quod facio, me *reipublicae causa* facere profiterer, quis tandem esset, qui meum factum aut consilium posset reprehendere?"

Jam ad caput rei, Ciceronis eximiam prudentiam probitatemque veniamus. Namque ut ille Siculos, hospites quondam suos et amicos, defendendos suscepit, ut veterem iis fidem praestaret, ita simul causam justitiae, turpiter impieque violatae, propugnare ac servare studuit. Hoc fuit ei consilium, quod tantopere nitebatur, ne Caecilius accederet huic tam gravi causae patronus. Metuebat videlicet, ne is, suscepto patrocinio, Hortensio adversario impar esset futurus, maximoque cum reipublicae detrimento scelestus civis absolveretur. Fuit hac in re Demostheni similis, qui in quavis causa judicanda id ante omnia agebat, ut justi et

aequi severa ratio haberetur, et semper exacta ad justitiae normam sua cum civibus communicaret consilia 1).

Censebat autem Cicero, ad obtinendam justitiae custodiam necesse esse, ut sancta et incorrupta essent judicia. Haec magnopere reverebatur, et tanquam firmamenta civitatum, libertatisque praesidia coluit, quibus e republica sublatis, vis et scelus erumpere et impune grassari deberent 2). Nec parva sane ejus in restituenda eorum dignitate opera fuit. Namque et antea adolescens in causa Rosciana, quum amplissimi oratores detrectassent publice dicendi officium desertumque judicium videretur, solus patrocinium justitiae susceperat, gravissimeque cohortatus erat judices, ut acria ac severa judicia fierent 3); et vero cum in Verrem dicturus esset, eandem judicum fidem et religionem vehementissime imploravit. Quod continuo patet in exordio: » Quod erat optandum maxime, judices, et quod unum ad invidiam vestri ordinis, infamiamque judiciorum sedandam, maxime pertinebat; id non humano consilio, sed prope divinitus datum atque oblatum vobis summo reipublicae tempore videtur. Inveteravit enim jam opinio perniciosa reipublicae, nobisque periculosa, quae non modo Romae, sed et

1) Cf. Scholten Disp. I. passim. 2) Cff. quae in lib. I. de Offic. c. 22. de Areopago dicit Cl. Patris mei *Socratische School.* Vol. II. p. 144. 3) Cap. II. et passim.

apud exteras nationes, omnium sermone percrebuit, his judiciis, quae nunc sint, pecuniosum hominem, quamvis sit nocens, neminem posse damnari. Nunc in ipso discrimine ordinis judiciorumque vestrorum, quum sint parati, qui concionibus et legibus hanc invidiam senatus inflammare conentur, reus in judicium adductus est C. Verres, homo vita atque factis, omnium jam opinione, damnatus, pecuniae magnitudine, sua spe ac praedicatione, absolutus. Huic ego causae, judices, cum summa voluntate et exspectatione populi Romani actor accessi, non ut augerem invidiam ordinis, sed ut infamiae communi succurrerem. Adduxi enim hominem, in quo reconciliare existimationem judiciorum amissam, redire in gratiam cum populo Romano, satisfacere exteris nationibus possetis. De quo si vos severe religioseque judicaveritis, auctoritas ea, quae in vobis remanere debet, haerebit: sin istius ingentes divitiae judiciorum religionem severitatemque perfregerint, ego hoc tamen assequar, ut judicium potius reipublicae, quam aut reus judicibus, aut accusator reo defuisse videatur." Haec sane exercendae justitiae commendatio judiciorumque vindicatio, testantur animum fortem et prudentem patriaeque amantissimum; fluxit autem ista sentiendi ac suadendi ratio ex ipsâ viri bonitate naturae; verum ut istâ cum vi et constantia conjungeretur, factum esse censemus philosophiae Socraticae et Platonicae princi-

pia. Valuit autem simul apud eum haec philosophia, ut praestantium eloquentiae perciperet, et insereretur Hortensio, qui illâ abuteretur ad absolvendum scelus, impietatemque excusandam. Quod ipsius verbis Ciceronis afferendis postremo cognoscamus [1]. »Res, inquit, omnis mihi tecum erit, Hortensi. Dicam aperte. Si te mecum dicendo ac diluendis criminibus in hac causa contendere putarem, ego quoque in accusando atque in explicandis criminibus operam consumerem. Nunc, quoniam pugnare contra me instituisti, non tam ex tua natura, quam ex istius tempore et causa, malitiose, necesse est istiusmodi rationi aliquo consilio obsistere. Verum illud, quod instituneram dicere, mihi rem tecum esse, hujusmodi est. Ego, cum hanc causam Siculorum rogatu suscepissem, idque mihi amplum et praeclarum existimassem, eos velle meae fidei diligentiaeque periculum facere, qui innocentiae abstinentiaeque fecissent: tum, suscepto negotio, majus mihi quiddam proposui, in quo meam in rempublicam voluntatem populus Romanus perspicere posset. Nam illud nequaquam dignum industria conatuque meo videbatur, istum a me in judicium, jam omnium judicio condemnatum, vocari, nisi ista tua intolerabilis potentia, et ea cupiditas, qua per hosce annos in quibusdam causis usus es, etiam in istius

1) Cap. 11.

hominis desperati causa interponetur. Nunc vero, quoniam haec te omnis dominatio regnumque judiciorum tanto opere delectat, et sunt homines, quos libidinis infamiaeque suae neque pudeat neque taedeat, qui quasi de industria in odium offensionemque populi Romani irruere videantur: hoc me profiteor suscepisse, magnum fortasse onus, et mihi periculosum, verum tamen dignum, in quo omnes nervos aetatis industriaeque meae contenderem." Apparet sane ex utriusque orationis consilio, quo ducti ad hanc causam Verrinam accedebant, vis philosophiae in vitam actionesque humanas. Namque Hortensius, ut novimus, alienus erat a philosophiae studiis, neque videtur ea usus, quatenus dialecticam eloquentiae adhibere summo oratori conveniret. Indeque explicandum videtur, cur ille, hac destitutus vitae morumque magistra, non erubuerit operam suam sceleri et impietati polliceri: Cicero contra, imbutus ejus efficacitate, ab illa illiberalitate abhorreret.

Oratio pro Lege Manilia et Catilinariae.

Cicero quum se ab ineunte adolescentia ad defendendos homines dedisset, atque in causis judiciisque publicis multum famae atque auctoritatis sibi comparasset, videbatur sibi post decessum e Sicilia jam id esse consecutus, ut in se illud, quidquid esset, esset perfectum et haberet maturitatem quandam

stium. 1) Sed ille, quamvis ita de se ipse existimaret, dedit Philomusus industriae insigne exemplum. Namque praetor factus eo ipso anno, quo orationem pro lege Manilia habuit, quam antea auctoritate addactus L. Crassi, et magistrorum Graecorum opportunitate, Graece saepius quam Latine declamavisset 2), convertit se ad M. Antonium Gnipho nem, non minus Graece quam Latine doctum virum, qui praeter grammaticam etiam rhetoricam Romae docebat, ita ut quotidie praecepta eloquentiae traderet, declamaret vero non nisi nundinis. Hujus eruditissimi viri, auctoris, ut nonnemini visus est, Rhetoricorum ad Herennium, Cicero post fori laborem scholam frequentasse dicitur 3). Ac fuere quidem, qui id discendi causâ a Cicerone factum negarent, quasi haec exercitatio et praetoriam dignitatem et aetatem Ciceronis dedeceret. Quare putabant, id consilii cepisse eum, ut juventuti Romanae exemplo suo praeiret et ardorem Latinarum litterarum excitaret in animis 4). At non inepte, credo, existimemus, Ciceroni, hoc tempore primum *ad populum* verba facturo, visum esse audire aliquem non de vulgari rhetorum turba, sed qui excelleret pariter Graecarum ac Latinarum litera-

1) Brut. c. 92. 2) Eod. l. c. 90. 3) Macrob. Sat. III. 12. Suet. *de Ill. Gramm.* c. 7. Ersch *Encycl.* t. XVII. p. 207. 4) Middlet. t. I. p. 128. Cff. C. Sagittarius *Comm. de lect. et imit. Cic.* p. 176. Tiraboschi *Storia* etc. l. l. Suringar *Hist. Crit. Scholiast. Lat.* t. II. p. 230.

rum peritia, et qui afferret praeterea declamandi inusitatam quandam vetustatem. Talis igitur vir quum Antonius Gnipho dicendus videatur, intelligitur facile, quare hac aetate Cicero, ad novum dicendi genus ac populare delatus, eo uti praeceptore voluerit.

Sed, ut ad propositum nostrum veniamus, ratio totius orationis, quae etiam *de Imperio*, *seu de laudibus Cn. Pompeji* inscribitur, videtur nobis attingenda. Suadet Cicero legem Maniliam, gravissimisque argumentis ostendere conatur, unum Cn. Pompejum dignum esse, in quem administrandi belli Mithridatici conferretur honos. Copiosum argumentum ita distribuit, ut sibi primum dicendum putet de *genere belli*, deinde de *magnitudine*, tandem de *Imperatore deligendo*. Sed quamvis de bello gerendo et primum dicat et fuse copioseque disceptet, tamen postremum illud, ubi de Cn. Pompeji singulari eximiaque virtute agitur, conciliavit non solum Ciceroni magnam gloriam, sed ipsi etiam orationi singularem laudis praedicationem. Quod ne multorum auctoritate probemus, unus audiatur Fronto, ad M. Antoninum de bello Parthico scribens [1]: *Nunc ut orationem istam Tullii, quam tibi legendam misi, paucis commendem; mihi profecto ita videtur, neminem umquam neque Romana neque Graecorum lin-*

1) Ed. Niebuhr p. 112.

gua facundius in concione populi laudatum, quam Cn. Pompejus in ista oratione laudatus est: ut mihi ille videatur non ita suis virtutibus, ut Ciceronis laudibus Magnus *cognominatus.* Sed aliud item longeque majus in illa oratione praeter Pompeji laudationem animadvertendum est, quod recte idem sensit Fronto, quantum ex abrupta ejus oratione cognoscitur. Nam pergit: *Tum praeterea multa istic reperies praesentibus consiliis tuis capita apte considerata, de ducibus exercituum deligendis, de commodis sociorum, tutela provinciarum, — quibus artibus praeditos esse oporteat imperatores.* Hinc nimirum apparet, quod plenius acutiusque Manutius 1) significavit: *Ut Cicero*, ait, *summum oratorem tribus libris, praestantem civem sex de Republica libris, optimum virum tribus de Officiis formavit atque finxit, ita in hac oratione in persona Pompeji, qualis esse debeat summus Imperator, ostendit.*

Meminimus, quid supra, cum de Rhetoricis Ciceronis disputaremus, maxime nos adverteret. Zeuxis nobis proponebatur e quinque formosissimarum puellarum contemplatione id maxime mente delibans, quod sibi ad effingendum Helenae simulacrum necessarium existimaret. Quam imaginem, etsi jam longe abesset a Platonica sublimitate, ut-

1) In orat. argumento quod Ed. Graev. t. II. praemissum est.

pote illius aetatulae, habebamus suo pretio et admirabamur: sed venustior quam verior, poetae dignior ingenio, quam philosophi videbatur. Nunc vero hac aetate, hoc ingenio, hac dicendi philosophandique exercitatione, majus quid concipere et exprimere oratione poterat: atque oblatâ dicendi occasione, ingenium ejus, velut praegnans, foetum edidit, ad Platonicae philosophiae similitudinem prorsus comparatum. Non ille quaesivit in Pompejo, quae maxime exsplendescerent, virtutes, sed de iis postea quaesiturus, primum quid in perfecto Imperatore inesse oporteret ac flagitaretur, secum reputavit: *Ego enim*, inquit, *eo existimo, in summo Imperatore quatuor has res inesse oportere, scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem* 1). Ac de virtute dicturus, *non illae* ait, *sunt solae virtutes Imperatoriae, quae vulgo existimantur, labor in negotio, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in providendo* 2). Porro: *Est haec divina atque incredibilis virtus Imperatoris. Quid caeterae quantae atque quam multae sunt? Non enim solum bellandi virtus in summo atque perfecto Imperatore quaerenda est: sed multae sunt artes eximiae hujus administrae comitesque virtutis. Ac primum quantâ innocentiâ esse debent Imperatores? quantâ deinde omnibus in re-*

1) Cap. 10. 2) Cap. 11.

bus temperantiâ? quantâ fide, quantâ facilitate, quanto ingenio, quantâ humanitate? — quem enim possumus Imperatorem aliquo in numero putare, cujus in exercitu veneant centuriatus, atque venierint? — Neque enim potest exercitum is continere Imperator, qui se ipsum non continet: neque severus esse in judicando, qui alios in se severos esse judices non vult 1). Ex his locis patet, ni fallor, quanta vis philosophiae Platonicae in Ciceronis animum fuerit, et quantopere hanc ille ad communem vitae usum summumque dicendi propositum accommodaverit.

Hac edita Cicero oratione, e qua nobis abunde constat, multum eum a Platone profecisse, ab instituto suo non deflexit, sed magis magisque imbui philosophiae ubertate coepit. Age vero, hujus perpetui studii rationem habeamus, ac celebratissimas illas *Consulares orationes*, in Catilinam habitas, exploremus. Quidquid antea Cicero in foro judiciisque causae attigerat, id vel ad privatorum amicorumque vitam et fortunas, vel ad provinciarum ac sociorum commoda propugnanda praestiterat. Ipsa vero nondum respublica in eo fuerat, ut eloquentiae ejus prudentiaeque praesidia desideraret. Erupit illa periculosissima pestis factionis Catilinariae, quae ad caedem ac ruinas rempublicam designaverat, in Consulatum Ciceronis, ut videretur fa-

1) Cap. 13.

tale, tanti periculi praesentiam per eum a reipublicae faucibus esse depellendam. Atque in hac quidem civium omnium trepidatione usu ipsi venit, quanta ad constantiam animi et laboris perseverantiam vis inesset philosophiae Platonicae. Idem enim et princeps civitatis et philosophus erat. Vidit id recte Plutarchus; magnamque laudem Ciceroni dedit his verbis 1): Ἐν αὐτῇ δὲ τῇ Ῥώμῃ, λόγῳ μὲν ἀποδειχθεὶς ὕπατος, ἐξουσίαν δὲ λαβὼν αὐτοκράτορος καὶ δικτάτωρος ἐπὶ τοὺς περὶ Κατιλίναν, ἐμαρτύρησεν ἅμα τῷ Πλάτωνι, μαντευομένῳ παῦλαν ἕξειν κακῶν τὰς πόλεις, ὅταν εἰς ταὐτὸ δύναμίς τε μεγάλη καὶ Φρόνησις ἐκ τινος τύχης χρηστῆς ἀπαντήσῃ μετὰ δικαιοσύνης. Recordamur sane, ubi Ciceronem in Catilinam dicentem audimus, ipsum illud, quod dicentem postea Crassum fecit, quodque non minus ex ipsius sensu Ciceronis affectuque expressum dicamus 2). „Quis Dionem, inquit, Syracusium doctrinis omnibus expolivit? non Plato? *atque eum idem ille non linguae solum, verum etiam animi ac virtutis magister ad liberandam patriam impulit, instruxit, armavit.* Sic enim video, unam quandam omnium rerum, quae essent erudito homine dignae, atque eo qui in republica vellet excellere, fuisse doctrinam; quam qui accepissent, si iidem ingenio ad pronuntiandum va-

1) Comp. Dem. et Cic. Ed. Reisk. p. 848. 2) De Orat. III. 35.

luissent, et se ad dicendum quoque, non repugnante natura, dedissent, eloquentia praestitisse." Acceperat a Platone Dion, praesens a praesente eam doctrinam, quae ad vitam moralem, ad efficiendos emendandosque mores pertinet, eâque institutus liberare patriam a tyrannide potuit 1): Cicero vero, etsi illâ magistri voce caruerat, tamen a prima inde juventute tam multas habuerat vitae opportunitates ad cognoscendam Platonis philosophiam, ut, consulari potestate ornatus, ab omni parte instructus illâ disciplinâ imbutusque videretur. Adhibuit igitur vim omnem, quam prior illa institutio in ipsius animo inchoaverat, quamque firmaverant Philo, Antiochus, Posidonius, ad vindicandam patriam a perditissimorum hominum machinationibus. Catilinam, istius fontem nequitiae, quae serpere et propagari latius in republica coepit, in illis orationibus, admirabili quadam usus dicendi vi ac δεινότητι, non solum exagitavit acerbe, sed ita abjecit prorsus, ut non vereretur dicere: *ad hanc te amentiam omnem natura peperit, voluntas exercuit, fortuna servavit* 2). Imo vero, ut supra vidimus, Ciceronem, quum de Cn. Pompejo disereret, perfectam aliquam optimi Imperatoris adumbrasse speciem, ita in Catilinam dicens, similiter perfectum pessimi civis exemplar exhibuit.

Videmus sane, has legentes Catilinarias orationes,

1) Plut. *Vita Dionis*, c. 2. 2). Catil. I. c. 1.

oratorem *non rhetorum scholis, sed ex Academiae spatiis* profectum. Quem enim Platonica disciplina ad gerendam rempublicam adduxerat, eundem illa idoneum reddidit, qui et consiliis succurreret periclitanti, et voce sua fortissime adesset. *Non enim se tanta*, ut ait Quinctilianus 1) *vis eo unquam fudisset ubertas, si ingenium eius consepto fori, non ipsius rerum naturae finibus terminasset.* Hac illa maximarum rerum disciplina imbutus, conformatus in primis legendi Platonis studio, effinxit ejus copiam dicendo. Ac multa quidem sunt hujus rei exempla in Catilinariis obvia, verum e pluribus pancissima, sed efficacissima simul afferre lubet. Fingit igitur patriam cum Catilina loquentem, prouti in Menexeno Platonis ipsos cives majores sui alloquuntur 2): „ Nunc te patria, inquit, quae communis est omnium nostrum parens, odit ac metuit, et jamdiu de te nihil judicat, nisi de parricidio suo cogitare. Hujus tu neque auctoritatem verebere, neque judicium sequere neque vim pertimesces? quae tecum, Catilina, sic agit et quodammodo tacita loquitur: » Nullum aliquot jam annis facinus exstitit, nisi per te: nullum flagitium, sine te: tibi uni multorum civium neces, tibi vexatio direptioque sociorum impunita fuit ac libera: tu non solum ad negligendas leges et quaestiones, verum etiam ad evertendas perfringendasque valuis-

1) *Inst. Orat.* XII. 2. 2) P. 46. D.

ti. Speciosa illa, quamquam ferenda non fuerunt, tamen, ut potui, tuli: nunc vero, me totum esse in metu propter te unum, quidquid interpueri, Catilinam timeri, nullum videri contra me consilium iniri posse, quod a tuo scelere abhorreat, non est ferendum. Quamobrem discede, atque hunc mihi timorem eripe: si est verus, ne opprimar, si falsus, ut tandem aliquando timere desinam.« 1).

Ut tantam elucet ex hoc loco quaedam orationis Platonicae similitudo, magis ingenio Ciceroni quam ingenuo imitandi studio consentanea, ita longe gravior est illa sententia, quia non Catilinam, sed ipsum Ciceronem Consulem eadem patria increpans quodammodo inducitur 2). Quam sententiam si recte percipere atque aestimare volumus, opus est ut Platonis Critonem recordemur, quo loco ipsa patria ep leges cum Socrate disputantes proponuntur. Notissimum est loci initium 3). Εἰ μέλλουσιν ἡμῖν ἐνθένδε εἴτε ἀποδιδράσκειν, εἴθ' ὅπως δεῖ ὀνομάσαι τοῦτο, ἐλθόντες οἱ νόμοι καὶ τὸ κοινὸν τῆς πόλεως, ἐφιστάναι ἔροιντο, Εἰπέ μοι, ὦ Σώκρατες, τί ἐν νῷ ἔχεις ποιεῖν; Similiter Cicero: »Nunc ut a me, inquit, quandam prope justam patriae querimoniam detester ac deprecer, percipite, quaeso, diligenter quae dicam, et ea penitus animis vestris

1) Catil. I. 7. Cf. Initia Vol. II. P. I. p. 93. Scholten Disp. I. p. 48. 2) Eod. l. c. 11. Quinct. *Inst. Orat.* IX. 2. 3) Crito, p. 50. A.

mentibusque mandate. Etenim si mecum patria, quae mihi vitâ meâ multo est carior, si cuncta Italia, si omnis respublica loquatur: M. Tulli, quid agis? tune eum, quem esse hostem comperisti, quem Ducem belli futurum vides, quem exspectari Imperatorem in castris hostium sentis, auctorem sceleris, principem conjurationis, evocatorem servorum, et civium perditorum, exire patiaris, ut abs te non emissus ex urbe, sed immissus in urbem esse videatur? Nonne hunc in vincula duci, non ad mortem rapi, non summo supplicio mactari imperabis? quid tandem impedit te? mosne majorum? at persaepe etiam privati in hac republica pernicioso cives morte multarunt: an leges, quae de civium Romanorum supplicio rogatae sunt? at nunquam in hac urbe ii, qui a republica defecerunt, civium jura tenuerunt: an invidiam posteritatis times? praeclaram vero populo Romano refers gratiam, qui te, hominem per te cognitum, nullâ commendatione majorum, tam mature ad summum imperium per omnes honorum gradus extulit, si propter invidiam, aut alicujus periculi metum salutem civium tuorum negligis. Sed si quis est invidiae metus, num est vehementius severitatis ac fortitudinis invidia, quam inertiae ac nequitiae pertimescenda? An, cum bello vastabitur Italia, vexabuntur urbes, tecta ardebunt, tum te non existimas invidiae incendio conflagraturum?"

Orationes
pro Murena et pro Archia poeta.

Quo tempore, egresso urbe Catilinâ, servandae patriae causâ Consul Cicero reliquos conjuratos severissime persequebatur, grata ipsi interdum humanitatis officia remissioque iracundiae accidebant. Quam ei suavitatem cum aliae aliorum defensiones, tum vel maxime pro Murena, vetere amico suo, dicendi afferebat opportunitas. » Ego enim, inquit [1]), has partes lenitatis et misericordiae, quas me natura ipsa docuit, semper egi libenter; illam vero gravitatis severitatisque personam non appetivi, sed ab republica mihi impositam sustinui; sicut hujus imperii dignitas in summo periculo civium postulabat. Quodsi tum, quum respublica vim et severitatem desiderabat, vici naturam, et tam vehemens fui, quam cogebar, non quam volebam: nunc, quum omnes me causae ad misericordiam atque ad humanitatem vocent, quanto tandem studio debeo naturae meae consuetudinique servire?"

Haec Cicero, Murenam adversus ambitus crimen defensurus, ingenue coram judicibus dicit. In quo non solum laudamus ac probamus mitissimam viri naturam, verum etiam valebit haec ipsa morum commendatio ad illa melius intelligenda, quorum gratiâ necesse duximus hujus mentionem fa-

1) Pro Mur. c. 3.

facere orationis. Nam postquam lepidâ comparatione inter virum militarem, oratorem et jureconsultum id effecerat, ut consensu omnium videretur juris scientia non omnino tanti facienda 1), ad Catonem convertit orationem, atque Serv. Sulpicium, nimis deditum juri civili, facete luserat, ita hunc, optimam naturam studiis perversis corrumpentem, urbana cavillatione reprehendit. Scilicet Stoicam philosophiam, quam sequebatur Cato, imo vero quam moribus vitaque exprimebat, acriter hac oratione Cicero perstringit, vitaeque humanae minime consentaneam esse ostendit 2).

Quae supra in percurrendis Ciceronis orationibus animadvertimus, eo plurimum tendebant, ut magis magisque perspicuum fieret, oratorem, perceptâ philosophiae Socraticae ac Platonicae ubertate, sensus naturae optimos disciplinae illius sanitate corroborasse. Vim illam eximiam variis vitae temporibus, in defendenda amicorum, civium, ipsius reipublicae salute, vidimus quomodo se explicaret, semperque vires novas acquireret. Verum nondum in foro judiciisque publicis maximarum illarum rerum auctorem, qui effecisset scriptis suis, ut homo, lenissimâ naturâ, in communi civitatis discrimine non solum non siluisset, sed liberrime gravissimeque dixisset, Platonem, inquam, nondum

1) Cap. 10. sqq. 2) C. 28. sqq. Cf. Quinct. *Inst. Orat.* XI. 1. (70.)

publice commemoraverat. Occasionem hujus memorandi celebrandique viri Cato ipsi praebuit; quod quidem qua fecerit ratione, cum nostra maxime intersit, accipiamus ipsis verbis Ciceronis [1]. »Finxit te, Cato, ipsa natura ad honestatem, gravitatem, temperantiam, magnitudinem animi, justitiam, ad omnes denique virtutes magnum hominem et excelsum. Accessit istuc doctrina non moderata, nec mitis, sed ut mihi videtur, paulo asperior et durior, quam veritas aut natura patiatur. Et quoniam non est nobis haec oratio habenda aut cum imperita multitudine, aut in aliquo conventu agrestium: audacius paulo de studiis humanitatis, quae et mihi et vobis nota et jucunda sunt, disputabo. In M. Catone, judices, haec bona, quae videmus, divina et egregia, ipsius scitote esse propria. Quae nonnunquam requirimus, ea sunt omnia non a natura, sed a magistro. Fuit enim quidam summo ingenio vir Zeno, cujus inventorum aemuli Stoici nominantur. Hujus sententiae sunt et praecepta ejusmodi: sapientem gratiâ nunquam moveri; nunquam cujusquam delicto ignoscere; neminem misericordem esse, nisi stultum et levem; viri non esse, neque exorari, neque placari; solos sapientes esse, si distortissimi sint, formosos, si mendicissimi, divites, si servitutem serviant, reges; nos autem, qui sapientes non sumus, fugitivos, exsules,

1) C. 29. sqq.

hostes, insanos denique esse dicunt; omnia peccata esse paria; omne delictum, scelus esse nefarium; nec minus delinquere eum, qui gallum gallinaceum, quum opus non fuerit, quam eum, qui patrem suffocaverit; sapientem nihil opinari, nullius rei poenitere, nulla in re falli, sententiam mutare nunquam. Haec homo ingeniosissimus, M. Cato, auctoribus eruditissimis inductus, arripuit: neque disputandi causâ, ut magna pari, sed ita vivendi. *Nostri autem isti, (fatebor enim, Cato, me quoque in adolescentia, diffisum ingenio meo quaesisse adjumenta doctrinae), nostri, inquam, illi a Platone et Aristotele*, moderati homines et temperati, ajunt, apud sapientem valere aliquando gratiam; viri boni esse miserari; distincta genera esse delictorum, et dispares poenas; esse apud hominem constantem ignoscendi locum; ipsum sapientem saepe aliquid opinari, quod nesciat; irasci nonnunquam; exorari eundem et placari; quod dixerit, interdum, si ita rectius sit, mutare; de sententia decedere aliquando; omnes virtutes mediocritate quadam esse moderatas. *Hos ad magistros si qua te fortuna, Cato, cum ista natura detulisset, non tu quidem vir melior esses, nec fortior, nec temperantior, neo justior (neque enim esse potes) sed paulo ad lenitatem propensior.*"

Digredimur nunc ad eam orationem, quae a Cicerone pro Archia habita, his extremis tempori-

huic magnam tulit judicii existimationisque varietatem 1). Nam a nonnullis, imbutis penitus veteris aevi elegantia, semper ita judicatum esse accipimus, in hac oratione Ciceronem sic commendasse artium literarumque studia, ut incertum videatur, ipsane literae, an qui eas laudaverit, graviorem nactae sint splendorem et commendationem. Quae sententia adeo displicuit multis, ut alii eam impugnare studerent, alii, quod vix credibile videatur, ipsius orationis subvertere conarentur auctoritatem 2). Quamquam id iis impune facere non licuit. Nam quum isti, Musarum consortio indigni homines, clamarent, Ciceronem, argumentis adversarii admodum leviter tenuiterque refutatis, arripuisse, ne deesset loquendi materies, *locum*, ut rhetores dicunt, *communem* de laudibus literarum, parumque summi oratoris partibus satisfecisse 3), non modo non

1) Vidd. Van Walwyk. *Exercit. Jur. Philol. ad Cic. Orat. pro Arch.* Lugd. Bat. 1776, Hülsemann in Ed. sua passim. Netscher *Disp. Jur. Litt. de Orat. p. Arch.* Lugd. B. 1808. Wytt. *Philom.* Vol. I. p. 190. Fuhrmann Op. l. t. II. P. I. p. 72. Ersch. *Encycl.* t. XVII. p. 221. Bähr. Op. l. p. 382. Stuerenburg. *Praef. ad Edit. suam.* Orellius in Ed. t. II 2. p. 151. 2) Schröter. *Orat. quae vulgo fertur pro Archia.* Prodiit anon. M. C. B. Lips. 1818. Cff. Platzii *Vindiciae* in Seebodii Bibl. Crit. 1819—1822. Frotscher. *Anmerkk. zu Cic. Rede pro Arch.* Schneeberg. 1820. 3) Klotz in Act. liter. (Altenburg. 1767.) t. IV. p. 49. sqq. Haec addit: *Nempe pueris nobis plerique magistri hanc orationem legendam dederunt, eaque illi aetatulae ob formulas vulgares atque, si placet, ele-*

persuadere prudentioribus potuerunt, sed excitarunt etiam bene multos, qui et veteris elegantiae patroni et istius injuriae vindices exsisterent. Horum autem curis factum, ut a turpi consilio haec laudatissima oratio in suam denuo revocata sit sedem.

Nam, quod adversarii de locis communibus dixerunt, id magis ex sui aevi ratione, quam ex aetate illa Ciceronis explicuerunt. Quodsi, quemadmodum dixissent, aetatem illam paulo diligentius explorare, rectius, opinor, de consilio Ciceronis existimassent. Quantum enim discrepuerit, haec nostra a superiore illa, qua Crassus et Antonius floruerunt, ut nemini est obscurum, ita cavendum quam maxime, ne latius fines, quam res ipsa sunt, proferamus. Vidimus supra r), quanta puero Ciceroni Crassi, Antonii, ceterorumque summorum virorum industria fuerit in aperiendis Graecorum fontibus: qui tamen illorum summi conatus ad patefaciendam magis, quam ad ingrediendam novam viam valuerant. Ubi vero, mortuis iis, adultus Cicero, et ornatus omnibus doctrinae instrumentis, illam vim dicendi ad regendos populi animos in forum attulerat, et egregios viros laboris sui socios acquisiverat, tum demum Graecae literae et omnis eruditio, quae quidem ad Graecorum esset exem-

---

gantes dicendi, facilior intellectu est, magisque ideo placet reliquis, in quibus multa occurrunt ex historia Jurisp. Rom. explicanda. r) P. 14. sqq.

plum composita, praesertim auctore Cicerone invalescere magis magisque coeperunt. Addit has artes honos, suaque deinceps iis et dignitas et commendatio constabat. Verum, cum ingens hic esset ad humanitatem progressus, non tamen vacabat civitas iis, qui resistere his invalescentibus studiis, aut spernendo obtrectare studerent 1). Quorum e genere cum esset Gratius, Archiae accusator, qui nec ferre hominem Graecum in civitate Romana, nec gratiosum videre apud principes viros sine ira posset, habuit profecto quod laetaretur Cicero, contingere sibi, ut et Archiam, principem juventutis suae magistrum, defenderet, et perversas nonnullorum opiniones confutaret, et vero bonarum artium causam, quam egregie hucusque exemplo suo tutus erat, gravissimorum argumentorum auctoritate etiam in posterum commendaret.

Accedebat autem his tam gravibus rationibus, quibus ductus Cicero in defendendo Archia potissimum literarum studia coram judicibus laudaret, singulare quoddam momentum. Praeerat enim judicio, ut novissime compertum est 2), Quintus

1) Novimus, quam male Cicero, redux e Graecia, apud multos audiverit, teste Plutarcho, vitae c. 5.: Παρημέλειτο, ταῦτα δὴ τὰ Ῥωμαίων τοῖς βαναυσοτάτοις πρόχειρα καὶ συνήθη ῥήματα, Γραικὸς καὶ σχολαστικὸς, ἀκούων. 2) Ex comment. Scholiastae. Cff. Angeli Maji *Partes ineditae sex orati. Cic. cum antiquo*

frater, idem, quocum et juvenilium studiorum confecerat cursum, et Archiae disciplina usus erat. Hoc autem rectissimo viro exercente judicium [1], qua de re lubentius Cicero studiosiusque agere potuisset, quam de communi literarum amore, cujus vim omnem et constantiam tum excitasset Archias tum confirmasset?

Quodsi igitur quis demirantibus nobis orationis pulcritudinem antiqui velit scriptoris opponere auctoritatem, dicentis [2], *non, opinor, Demosthenem orationes illustrant, quas adversus tutores suos composuit, nec Ciceronem magnum oratorem P. Quintius defensus, aut Licinius Archias poeta faciunt; Catilina et Milo et Verres et Antonius hanc illi famam circumdederunt:* is non magnopere nos dissentientes habebit. Etenim, ut gravius vehementiusque notari vitia, quam celebrari virtutes solent, utque oratio in exagitando Catilina et Clodio turgescit magis, quam in commendando Archia exsplendescit, ita quoque vulgo hominum judicia illis gravioribus animi commotionibus flectuntur facilius et advertuntur. Quocirca, etiamsi non miremur, nonnullorum judicio minores laudes contigisse huic Ciceronis pro Archia orationi, nos tamen, causâ rei explicatâ, sequamur elegantissimorum viro-

---

Interp. qui videtur Asconius, ad septem Cic. oratt. Mediol. 1817. 1) C. 2. Cf. Stuerenburg. in *Annott. ad Edit.* p. 32. 2) *Dial. de Oratoribus.* c. 37. Cf. Stuerenburg *Praef.* p. 8.

rum sententiam, qui eam laudibus maximis extulerunt 1).

Haec monenda videbantur, ut ad nostram disquisitionem via pateret. A forma igitur nunc ad materiem rationemque ipsam orationis procedamus, ut, si quid nobis, quod petitum sit e Platonica philosophia, occurrat, id diligenter persequamur 2). Ac primum quidem exordium causae animadvertendum est, ubi sic judices alloquitur: » Si quid est in me ingenii, judices, quod sentio quam sit exiguum, aut si qua exercitatio dicendi, in qua me non infitior mediocriter esse versatum, aut si hujusce rei ratio aliqua, ab optimarum artium studiis et disciplina profecta, a qua ego nullum confiteor aetatis meae tempus abhorruisse." — Expressit in hoc prooemio, quod minime latuit doctissimos interpretes, veteris philosophiae palmarium placitum, repetitum deinceps et explanatum ab optimis et philosophis et oratoribus et rhetoribus. Sed fons ejus, ut iidem observarunt, in Platone quae-

1) Dicit de ea Victorius *Var. Lect.* l. XII. c. 18. *Est erudita admodum oratiuncula pro Archia poeta, summoque artificio conscripta, ac referta denique optimis sententiis, sumtis ab optimis Graecis scriptoribus.* Wytt. *Philom.* I. p. 191. *Est autem haec una in orationibus Ciceronianis omnium suavissima, et cum causa, tum ratione humanissima.* 2) Memoranda hic est eruditissima Jac Tollii Edit. hujus orationis, qui accurate ubivis Platonis loca a Cicerone expressa indicavit. Prodiit Lugd. Bat. 1677. 12.

rendus est, qui, ubi in Phaedro Socratem rhetoricorum artificia perstringentem inducit, de hoc argumento datâ operâ et diligentissime monuit 1). Docet ibi Socrates, omnia vana esse putanda, nisi quis praestans ingenio, naturâque aptus sit ad discendum; his autem naturae facultatibus instructum, posse eum deinceps ingenium doctrinâ excolere et exercitatione subigere et ad perfectionem adducere. Quaerit igitur Phaedrus: Ἀλλὰ δὴ τὴν τοῦ τῷ ὄντι ῥητορικοῦ τε καὶ πιθανοῦ τέχνην πῶς καὶ πόθεν ἄν τις δύναιτο πορίσασθαι; Σω. Τὸ μὲν δύνασθαι, ὦ Φαῖδρε, ὥστε ἀγωνιστὴν τέλεον γενέσθαι, εἰκὸς, ἴσως δὲ καὶ ἀναγκαῖον, ἔχειν ὥσπερ τἆλλα. Εἰ μέν σοι ὑπάρχει φύσει, ῥητορικῷ εἶναι, ἔσῃ ῥήτωρ ἐλλόγιμος, προσλαβὼν ἐπιστήμην τε καὶ μελέτην· ὅτου δ' ἂν ἐλλείπῃς τούτων, ταύτῃ ἀτελὴς ἔσῃ. Similiter in Theaeteto 2). Ἡ δ' ἐν τῇ ψυχῇ ἕξις οὐχ ὑπὸ μαθήσεως μὲν καὶ μελέτης, κινήσεων ὄντων, κτᾶταί τε μαθήματα, καὶ σώζεται καὶ γίγνεται βελτίων, ὑπὸ δ' ἡσυχίας, ἀμελετησίας τε καὶ ἀμαθίας οὔσης, οὔτε τι μανθάνει, ἅτε ἂν μάθοι, ἐπιλανθάνεται; Haec Cicero, accepta a Platone suo, uberius in aliis operibus explicuit et illustravit; sed prouti ad aliarum id postea artium studia retulit, ita in hac oratione praecipuam poeseos, in qua excellebat Archias, rationem habuit. Ubivis in Archia poeta, quamvis ei concederet et doctrinae et exercitationis

1) Phaedro p. 269. C. D. Cf. Tollius ad l. l. Netscher p. 20. Wytt. l. l. 2) p. 153. B.

laudem, *ingenium* ante omnia admirabatur, summoque pretio habuit. Appareat id, ubi dicit 1): Primum Antiochiae celeriter antecellere omnibus *ingenii gloria* coepit. » Sed haec non solum *ingenii* ac literarum, verum etiam naturae atque virtutis vis fuit 2). » Etenim cum mediocribus multis, aut nulla aut humili aliqua arte praeditis, non gravate civitatem in Graecia homines impetiebant, Rheginos credo, quod scenicis artificibus largius solebant, id huic, *summâ ingenii praedito gloria*, noluisse 3). » Disertius etiam porro: » Ego multos homines excellenti animo ac virtute fuisse et sine doctrina naturae ipsius habitu prope divino per se ipsos et moderatos et graves exstitisse fateor; etiam illud adjungo, *saepius ad laudem atque virtutem naturam sine doctrina, quam sine natura valuisse doctrinam.* Atque idem ego hoc contendo, cum ad *naturam eximiam et illustrem* accesserit *ratio quaedam conformatioque doctrinae*, tum illud nescio quid praeclarum ac singulare solere existere 4). » — Tandem vero illud maxime advertendum, quod dicit: » Atque sic a summis hominibus eruditissimisque accepimus, ceterarum rerum studia et *doctrina* et *praeceptis* et *arte* constare, poetam *naturâ* ipsâ valere et mentis viribus excitari et quasi divino quodam spiritu

1) C. 5. 2) Eod. l. Cf. Supra p. 20. 3) C. 5. 4) C. 7.

inflari. Quare suo jure noster ille Ennius *sanctos* appellat poetas, quod quasi deorum aliquo dono atque munere commendati nobis esse videantur. Sit igitur *sanctum* apud vos hoc poetae nomen, quod nulla unquam barbaria violavit [1]). " — Quae ex quo adumbrata sint exemplo, haud sane ignoramus Platonis studiosi. In Phaedro [2]) enim de furoris generibus disputans Socrates: Τρίτη δὲ, inquit, ἀπὸ Μουσῶν κατοκωχή τε καὶ μανία λαβοῦσα ἁπαλὴν καὶ ἄβατον ψυχὴν ἐγείρουσα καὶ ἐκβακχεύουσα κατά τε ᾠδὰς καὶ κατὰ τὴν ἄλλην ποίησιν μυρία τῶν παλαιῶν ἔργα κοσμοῦσα τοὺς ἐπιγιγνομένους παιδεύει· ὃς δ' ἂν ἄνευ μανίας Μουσῶν ἐπὶ ποιητικὰς θύρας ἀφίκηται, πεισθεὶς ὡς ἄρα ἐκ τέχνης ἱκανὸς ποιητὴς ἐσόμενος, ἀτελὴς αὐτός τε καὶ ἡ ποίησις ὑπὸ τῆς τῶν μαινομένων ἡ τοῦ σωφρονοῦντος ἠφάνισθη. In Ione item [3]), quamquam hîc Socrates non serio, ut in Phaedro, sed ironice loquitur: Ἡ Μοῦσα ἐνθέους ποιεῖ αὐτὴ, διὰ δὲ τῶν ἐνθέων τούτων ἄλλων ἐνθουσιαζόντων ὁρμαθὸς ἐξαρτᾶται· πάντες γὰρ οἱ τε τῶν ἐπῶν ποιηταὶ οἱ ἀγαθοὶ οὐκ ἐκ τέχνης, ἀλλ' ἔνθεοι ὄντες καὶ κατεχόμενοι, πάντα ταῦτα τὰ καλὰ λέγουσι ποιήματα, καὶ οἱ μελοποιοὶ οἱ ἀγαθοὶ ὡσαύτως, ὥσπερ οἱ κορυβαντιῶντες οὐκ ἔμφρονες ὄντες ὀρχοῦνται, οὕτω καὶ οἱ μελοποιοὶ οὐκ ἔμφρονες ὄντες τὰ καλὰ μέλη ταῦτα ποιοῦσιν· — Κοῦφον γὰρ χρῆμα ποιητής ἐστι καὶ πτηνὸν καὶ ἱερὸν, καὶ οὐ πρότερον οἷός τε ποιεῖν, πρὶν ἂν ἔνθεός τε γένηται

1) C. 8. 2) p. 245. A. 3) p. 533. E.

καὶ ἐκφρων καὶ ὁ νοῦς μηκέτι ἐν αὐτῷ ἐνῇ· — οὐκ ἀνθρώπινά ἐστι τὰ καλὰ ταῦτα ποιήματα οὐδὲ ἀνθρώπων, ἀλλὰ θεῖα καὶ θεῶν, οἱ δὲ ποιηταὶ οὐδὲν ἀλλ' ἢ ἑρμηνεῖς εἰσι τῶν θεῶν.

Cernimus ita, dominari plane in hac Archiae laudatione Platonicum illud, ad poesin factitandam postulari tria illa, φύσιν, ἐπιστήμην, μελέτην, praesertim vero omniumque maxime φύσιν. Sed et alia occurrunt illic, quae similiter a Platone profecta, nobis inde unice explicanda sunt. In his sententia Ciceronis, a recentioris aevi philosophis ac scriptoribus certatim celebrata: *omnes artes, quae ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum, et quasi cognatione quadam inter se continentur* [1]. Quae sententia quin a Platone repetenda sit, dubitari nequit. Ipse enim fontem suum indicavit Cicero, quum in libris *de Oratore* dicit [2]: » Est etiam illa Platonis vera et tibi, Catule, certe non inaudita vox, omnem doctrinam harum ingenuarum et humanarum artium uno quodam societatis vinculo contineri; ubi enim perspecta vis est rationis ejus, qua causae rerum et exitus cognoscuntur, mirus quidam omnium quasi consensus doctrinarum concentusque reperitur." Verum, quominus hujus loci explicationem continuo aggrediamur, futura nos monet disputandi de

1) Cap. 1. 2) L. III. 6.

libris de *Oratore* opposuimus. Quare, omissis illis, alia quaerere pergemus.

Superest autem, ut de loco quodam valde memorabili, qui occupat totam fere extremam orationem, moneamus. Cicero enim, ubi elegantiorum literarum laudes persequitur, earumque cum utilitatem summam, tum voluptatem commemorat, ita disputat [1]: » Si cui levior oratio mea et facultas videtur, illa quidem certe, quae maxima sunt, ex quo fonte hauriam, sentio. Nam nisi multorum praeceptis multisque literis mihi ab adolescentia suasissem, nihil esse in vita magnopere expetendum, nisi laudem atque honestatem, in ea autem persequenda omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis atque exsilia parvi esse ducenda, numquam me pro salute vestra in tot ac tantas dimicationes atque in hos profligatorum hominum quotidianos impetus objecissem. — Quam multas nobis imagines non solum ad intuendum, verum etiam ad imitandum fortissimorum virorum expressas scriptores et Graeci et Latini reliquerunt: quas ego mihi semper in administranda republica proponens animum et mentem ipsa cogitatione hominum excellentium conformabam.« Indicare his verbis studet, hominum generi propriam esse quandam cupiditatem gloriae; quam, ut quisque est fortissimus, ita maxime appetere solet. In eodem argumento

1) Cap 6.

pergit illudque copiosissime tractat. » Neque enim ait, quisquam est tam aversus a Musis, qui non mandari versibus aeternum suorum laborum facile praeconium patiatur 1). » — » Quare, si res eae, quas gessimus, orbis terrae regionibus definiantur, cupere debemus, quo manuum nostrarum tela pervenerint, eodem gloriam famamque penetrare, quod iis, qui de vita gloriae causâ dimicant, maximum et periculorum invitamentum est et laborum 2). » — » Neque enim est hoc dissimulandum, quod obscurari non potest, sed prae nobis ferendum: trahimur omnes studio laudis et optimus quisque maxime gloriâ ducitur. Ipsi illi philosophi etiam illis libellis, quos de contemnenda gloria scribunt, nomen suum inscribunt: in eo ipso, in quo praedicationem nobilitatemque despiciunt, praedicari de se ac nominari volunt 3). » Hanc autem disputationem, qua gloriae studia universe attingit, suo tandem exemplo illustrat. » Jam me vobis, inquit, judices, indicabo et de meo quodam amore gloriae, nimis acri fortasse, verumtamen honesto, vobis confitebor. — Nullam enim virtus aliam mercedem laborum periculorumque desiderat, praeter hanc laudis et gloriae, qua quidem detracta, judices, quid est quod in hoc tam exiguo vitae curriculo et tam brevi tantis nos in laboribus exer-

1) Cap. 9. 2) Cap. 10. 3) Cap. 11.

ceamus? Certe si nihil animus praesentiret in posterum, et si, quibus regionibus vitae spatium circumscriptum est, iisdem omnes cogitationes terminaret suas, nec tantis se laboribus frangeret, neque tot curis vigiliisque angeretur, nec toties de ipsa vita dimicaret. Nunc insidet quaedam in optimo quoque virtus, quae noctes ac dies animum gloriae stimulis concitat atque admonet, non vitae tempore esse dimittendam commemorationem nominis nostri, sed cum omni posteritate adaequandam." — » An vero tam parvi animi videamur esse omnes, qui in republica atque in his vitae periculis laboribusque versamur, ut, cum usque ad extremum spatium nullum tranquillum atque otiosum spiritum duxerimus, nobiscum simul moritura omnia arbitremur? Ego vero omnia, quae gerebam, jam tum in gerendo spargere me ac disseminare arbitrabar in orbis terrae memoriam sempiternam. Haec sive a meo sensu post mortem afutura est, sive, ut sapientissimi homines putaverunt, ad aliquam animi mei partem pertinebit, nunc quidem certe cogitatione quadam speque delector [1]."

Quaecunque hic retulimus de laudis studio, postea a Cicerone saepius fusiusque usurpata videmus [2]. Scripsit ille adeo duos *de Gloria* li-

1) Cap. 12. 2) Conferri possunt Tusc. Quaest. l. I. 15. De Senect. c. 22. 23. De Amicitia c. 4. 5.

bres 1), in quibus probabile est, idem materiae suae fundamentum eum jecisse, quod hic aliisque locis posuit. Sed illa omnia ex communi fonte Platonis derivata sunt. Nam, quod vulgo omitti solet, ubi veterum de immortalitate animi placita aut opiniones investigantur 2), Plato nobis in Symposio hujus sive placiti, sive argumenti, seu mavis, augurii, auctor occurrit. In illo enim prorsus admirabili sermone, quem cum Diotima habuisse fertur Socrates, naturae humanae perpetuas quasdam memorat mutabilitas, ut nova semper fiat, illaque, quae identidem pereunt, novae vitae germina contineant. Explicatur inde divinae immortalitatis similitudo quaedam, quae efficiat, ut etiam animi hominum immortalitatem appetant. Transit hinc Diotima ad gloriae amorem, quem innatum optimo cuique penitusque insitum in animo ostendit 3). Μὴ οὖν θαύμαζε, inquit, εἰ τὸ αὑτοῦ ἀποβλάστημα φύσει πᾶν τιμᾷ· ἀθανασίας γὰρ χάριν πάντι αὕτη ἡ σπουδὴ καὶ ὁ Ἔρως ἕπεται. Hic Socrates, καὶ ἐγώ, ait, ἀκούσας τὸν λόγον,

1) De Off. II. 9. Epist. ad Att. l. XV. 27. XVI. 2. Cff. Hieronymus. *Comm. ad Ep. ad Galat.* t. VII. p. 518. Petrarcha *Epist. Senil.* l. XV. 1. Sigonii *Schol. in Fragm. Cic.* p. 116. sqq. A. Patric. *in t. III. Fragm.* p. 165. sqq. Fabr. Bib. Lat. I. p. 152. sqq. Nobbius et Orellius in Edit. A. IV. p. 487. 2) Nulla placiti hujus mentio fit in Wyttenb. *Disp. de Imm. Animi.* Cff. Initia. Vol. I. p. 184. II. 2 p. 23. A. Schottus *Ned. Cic.* l. I. c. 11. 3) p. 208. B. sqq. Cf. Tollius ad Cic. locum.

[illegible]

Ἄλκηστιν ὑπὲρ Ἀδμήτου ἀποθανεῖν ἄν, ἢ Ἀχιλλέα Πατρόκλῳ ἐπαποθανεῖν, ἢ προαποθανεῖν τὸν ὑμέτερον Κόδρον ὑπὲρ τῆς βασιλείας τῶν παίδων, μὴ οἰομένους ἀθάνατον μνήμην ἀρετῆς πέρι αὐτῶν ἔσεσθαι, ἣν νῦν ἡμεῖς ἔχομεν; Πολλοῦ γε δεῖ, ἔφη, ἀλλ', οἶμαι, ὑπὲρ ἀρετῆς ἀθανάτου καὶ τοιαύτης δόξης εὐκλεοῦς πάντες πάντα ποιοῦσιν, ὅσῳ ἂν ἀμείνους ὦσι, τοσούτῳ μᾶλλον· τοῦ γὰρ ἀθανάτου ἐρῶσιν. Eadem vero cum alibi apud Platonem, tum in primis in Epist. ad Dionysium occurrunt [1]. Πάντα δὴ, inquit, ταῦτα λέγω, τόδε βουλόμενος ἐνδείξασθαι, ὅτι οὐχ, ἐπειδὰν ἡμεῖς τελευτήσωμεν, καὶ οἱ λόγοι οἱ περὶ ἡμῶν αὐτῶν σεσιγήσονται· ὥστ' ἐπιμελητέον αὐτῶν ἐστίν· ἀνάγκη γάρ, ὡς ἔοικε, μέλειν ἡμῖν καὶ τοῦ ἔπειτα χρόνου, ἐπειδὴ καὶ τυγχάνουσι κατά τινα φύσιν οἱ μὲν ἀνδραποδωδέστατοι οὐδὲν φροντίζοντες αὐτοῦ, οἱ

1) Epist. II. p. 311. B. C. [illegible]

δ' ἐπιεικέστατοι πᾶν ποιοῦντες ὅπως ἂν εἰς τὸν ἔπειτα χρόνον εὖ ἀκούωσιν· ὃ δὴ καὶ ἐγὼ τεκμήριον ποιοῦμαι, ὅτι ἔστι τις αἴσθησις τοῖς τεθνεῶσι τῶν ἐνθάδε· αἱ γὰρ βέλτισταί ψυχαὶ μαντεύονται ταῦτα οὕτως ἔχειν· αἱ δὲ μοχθηρόταται οὐ φασι· κυριώτερα δὲ τὰ τῶν θείων ἀνδρῶν μαντεύματα, ἢ τὰ τῶν μή. Evidenter igitur patet, quum Cicero dicat *sapientissimos homines ita putavisse*, Platonem ab eo potissimum significatum esse.

CAPUT IV.

M. TULLII CICERONIS DIALOGI IN PRIMIS DE ELOQUENTIA ET DE RE PUBLICA.

Ab anno aetatis sexto et quadragesimo ad sexagesimum secundum.

Patuit nobis in superiore nostra disquisitione, ubi de rhetoricis Ciceronis, in primisque de orationibus ejus agebamus, qua praeditus ingenii vi ac praestantiâ, disciplinam Platonis, ex hujus scriptis pariter atque ex magistrorum institutione haustam, consiliis, voluntate, vitâ ipsâ et actione, tandem etiam professione sua ac verbis probasset, ac prae se tulisset. Progredimur nunc ab orationibus ad varia scribendi genera, ad quae exercitatus dicendi consuetudine excitatusque multorum clarissimorum hominum exemplis accedebat: quod quidem scribendi opus tantopere ad senectutem usque dilexit, ut, quoties ad illud animum relaxaret, toties incredibili studio ad illas *veteres suas delectatio-*

nos, *Musaque manentiores*[1]), abripi sese fatebatur.

Novum autem illud laudis curriculum exorsus est scribendo palmario *de Oratore* opere. De quo quum multa eximie sint dicta ac mandata libris, nostrum erit, disquirere, qua potissimum ratione Cicero in conscribendis his libris sit versatus. Qua in re considerandum primum formam eorum, deinde internas dotes spectabimus.

Libri de Oratore et Orator.

Referunt dialogi rationem. Nam in procemio ad Quintum fratrem [2]): » Repetam, inquit, non ab incunabulis nostrae veteris puerilisque doctrinae ipsorum ordinata praeceptorum, sed ea, quae quondam accepi in nostrorum hominum eloquentissimorum, et omni dignitate principum, disputationibus esse versata.« Idem in epistola ad Lentulum [3]): » Scripsi Aristotelio more, quemadmodum quidem volui, tres libros in disputatione ac dialogo de oratore. Abhorrent a communibus praeceptis, atque omnem antiquorum et Aristoteliam et Isocratiam rationem oratoriam complectuntur.« Sponte patet, ex his, quantum hoc opus distet ab

1) *Epist. ad Famil.* l. I. 9. 2) Cff. praesertim Nautae et Thorbeckii Commentt. in *Annal. Acad. Traj.* 3) C. 6. 4) Ad Fam. l. I. 9. Cff. Initia Vol. II. P. I. p. 135.

eo, quod sibi puero ex commentariolis suis excidisse inchoatum ac rude queritur, ut merito nobis a viro id aetatis et ingenii, et vero doctrinae, politius aliquid perfectiusque exspectare videamur. Quod autem dicit, Aristotelio sibi more et Isocrateo scribere hoc opus propositum fuisse, id sine dubio cum praefandi consuetudinem, tum praecepta spectat, quae, ut ipse ait, *communibus praeceptis* abhorrent, tum maxime in utramque partem disputandi morem. Formam vero totumque habitum disputationis praecipue a Platone duxit, verissimo dialogorum auctore, a quo ipse profecisse Aristoteles in dialogis scribendis videtur. Haec autem Platonica forma nobis debit maxime attendenda.

Nonnulla ipse admonitionis loco quidem ad fratrem scribebat, quae Quinti facte dicendi partes Crasso, Antonio ac Scaevolae tribuuntur. Interponit eorum disputationi duos alteros audientes studiosissimi juvenes, Cottam et Sulpicium. Ratio haec plane Platonica est. Solet enim Plato in dramatibus suis Socratem inducere disputantem, quem avide audiant adolescentes, interpellentque nonnunquam cognoscendi amore ducti. Sed, ut ille Socratem summum dicendi magistrum, ita tenebatur, ut praeter paucos nemo haberet di-

1) Cf. Initia. Vol. I. p. 167. sqq. Vol. II. P. I. p. 139. sqq. Vid. Sigonius in libro *de dialogo*, Venetiis 1562.

cendi principatum, ita Cicero in primo quem scripsit dialogo meos tres illos consulares, Scaevolam, Crassum et Antonium, qui sibi fuissent juvenis in omni vitae ratione excolenda principes ac duces, dicendi partes esse voluit. Similiter ad Platonis rationem compositum est dialogi exordium [1]). „Postero die, quum illi majores natu satis quiessent, et in ambulationem ventum esset tum Scaevolam duobus spatiis tribusve factis dixisse: cur non imitamur, Crasse, Socratem illum, qui est in Phaedro Platonis? nam me haec tum platanus admonuit, quae non minus ad opacandam hanc locum patulis est diffusa ramis, quam illa, cujus umbram secutus est Socrates, quae mihi videtur non tam ipsa aquula, quae describitur quam Platonis oratione crevisse: et quod ille divinitus pedibus fecit, ut se abjiceret in herbam atque ita illa quae philosophi divinitus ferunt esse dicta, loqueretur, id mihi pedibus certe concedi est aequius." Haec quum et alia multa e Platonis Phaedro adumbraverit, sed pro gentis suae ratione ac gravitate ab illa naturae simplicitate, quae apud Platonem dominatur plane, dedurerit ita ejusdem exordio, Scaevolae personam duabus posteriis disputationibus exemit. Id enim fecerat Plato in scribendâ Politiâ, quum Cephalum anteferret sermonum contentionibus. Sed ipsius id

1) L. I. c. 7.

verbis Ciceronis [1]) accipiamus, quo major sit dicto auctoritas. » Quod in iis libris, scribit ad Atticum, quos laudas, quos in coelum fers, personam desideras Scaevolae, non eam temere dimovi; sed feci idem, quod in πολιτείᾳ Deus ille noster Plato. Quum in Piraeum Socrates venisset ad Cephalum, locupletem et festivum senem; quoad primus ille sermo haberetur, adest in disputando senex: deinde quum ipse quoque commodissime locutus esset, ad rem divinam dicit se velle discedere neque postea revertitur. Credo Platonem viri putasse satis consonum fore, si hominem id aetatis in tam longo sermone diutius retinuisset. Multo ego studiosius [2]) hoc mihi cavendum putavi in Scaevola; qui et aetate et valetudine erat ea, quae esse meministi; et iis honoribus, ut vix satis deorum videretur eum plures dies esse in Graio Puteolano. Et erat primi libri sermo non alienus a Scaevolae studiis. Reliqui libri τεχνολογίαν habent, ut scis. Huic joculatoretn senem illum, ut puto, interesse sane nolui.

Sed alia item intercedit similitudo, digna, quae animadvertatur. Gratissimo semper animo Cicero praeceptores suos prosequitur. Vidimus id, quum Archiae laudationem recolebamus; eosdem ille sensus in acerbo Scaevolae funere publice declaraverat [3]). Sed omnium laudatissimum pietatis docu-

1) Ad Att. l. IV. 16. 2) Ita Orellius pro vulg. *satius*.
3) Orat. p. S. Rosc. Amer. c. 12.

mentum in hoc ipso de Oratore opere consignavit. Namque ubi, finitâ alterius disputationis narratione, ad tertiam erat progressurus, his orditur verbis, dignis quae penitus in animo cujusque, qui aestimare Ciceronis animum velit, inscribantur [1]: »Instituenti mihi, Quinte frater, eum sermonem referre, et mandare huic tertio libro, quem post Antonii disputationem Crassus habuisset, acerba sane exordiatio veterem animi curam molestiamque renovavit. Nam illud immortalitate dignum ingenium, illa humanitas, illa virtus L. Crassi, morte exstincta subita est." Tum narrata mortis causa: »Illa, ait, tanquam cycnea fuit divini hominis vox et oratio, quem quasi exspectantes post ejus interitum veniebamus in curiam, ut vestigium illud ipsum, in quo ille postremum institisset, contueremur. Namque tum latus ei dicenti condoluisse, sudoremque multum consecutum esse audiebamus: ex quo quum cohorruisset, cum febri domum rediit, dieque septimo est lateris dolore consumtus. O fallacem hominum spem, fragilemque fortunam, et inanes nostras contentiones! quae in medio spatio saepe franguntur, et corruunt, et ante in ipso cursu obruuntur, quam portum conspicere potuerunt. Nam quamdiu Crassi fuit ambitionis labore vita districta, tamdiu privatis magis officiis et ingenii laude floruit, quam fructu amplitudinis, aut reipublicae dignita-

1) L. III. c. 1.

te. Qui autem ei annus primus ab honorum perfunctione aditum, omnium concessu, ad summam auctoritatem dabat, is ejus omnem spem atque omnia vitae consilia morte pervertit. Fuit hoc luctuosum suis, acerbum patriae, grave bonis omnibus, sed ii tamen rempublicam casus secuti sunt, ut mihi non erepta L. Crasso a diis immortalibus vita, sed donata mors esse videatur." Haec eximia est prorsus Crassi laudatio, viri unius in paucis plurimum de Cicerone meriti. Ita autem is eam inseruit scriptis suis, non ut casu et forte, vel quia id res postulabat, inciderit in eum locum, sed ut datâ operâ intermisisse institutum suum videatur, nec sibi temperare potuisse, quominus excitatus gratissima recordatione viri, voce sua virtutes ejus memoriamque prosequeretur. Hoc autem agens, quidni Platonis Phaedonem sibi animo proposuerit, in quo ut ille Socratis sui postremum dicentis sermones recoluit, ita ipse hoc loco Crassi sui velut alterius cujusdam Socratis commendare memoriam concupisceret?

Tandem vero, ne quid consulto a nobis praetermissum videatur, consideremus totius operis perorationem. Ad finem enim perducto Crassi sermone, ita Catulus 1): » Tu vero, inquit, collegisti omnia, quantum ego possum judicare, ita divinitus, ut non a Graecis didicisse, sed eos ipsos haec do-

1) L. III. c. 61.

cere posse videatur. Me quidem istius sermonis partiarum factum esse gaudeo; ac vellem, meus gener, sodalis tuus, Hortensius, adfuisset; quem quidem ego confido omnibus istis laudibus, quas tu oratione complexus es, excellentem fore. Et Crassus, Fore dicis? inquit: ego vero esse judico. — Nihil enim isti adolescenti neque a natura, neque a doctrina deesse sentio. Quo magis est tibi, Cotta, et tibi, Sulpici, vigilandum ac laborandum. Non enim ille mediocris orator vestrae quasi succrescit aetati: sed et ingenio peracri, et studio flagranti, et doctrina eximia, et memoria singulari. Cui quamquam faveo, tamen illum aetati suae praestare cupio: vobis vero illum tanto minorem praecurrere vix honestum est." Non latuit interpretes, ad hunc locum monentes, hujus sententiae fons. In mentem enim iis venit Phaedri Platonici, in cujus fere extrema pagina ita Phaedrus, postquam Socrates de rhetorica dixerat [1]: Τί δὲ σύ; πῶς ποιήσεις; οὐδὲ γὰρ οὐδὲ τὸν σὸν ἑταῖρον δεῖ παρελθεῖν. Σω. τίνα τοῦτον; Φαι. Ἰσοκράτη τὸν καλὸν ὦ τί ἀπάγγελεῖς, ὦ Σώκρατες; τίν' αὐτὸν φήσομεν εἶναι; Σω. Νέος ἔτι, ὦ Φαῖδρε, Ἰσοκράτης ὁ μέντοι μαντεύομαι κατ' αὐτοῦ λέγειν ἐθέλω. Φαι. Τὸ ποῖον δή; Σω. Δοκεῖ μοί ἀμείνων ἢ κατὰ τοὺς περὶ Λυσίαν εἶναι λόγους τὰ τῆς φύσεως, ἔτι τε ἦθει γενικωτέρῳ κεκράσθαι ὥστε οὐδὲν ἂν γένοιτο θαυμαστὸν, προϊούσης τῆς ἡλικίας, εἰ περὶ αὐτούς τε τοὺς λόγους,

1) P. 278. E.

εἰς νῦν ἐπιχειρεῖ; πλέον ἢ παίδων διενέγκαι τῶν πάποτε ἁψαμένων λόγων, ἔτι τε, εἰ αὐτῷ μὴ ἀποχωρήσαι ταῦτα, ἐπὶ μείζω δέ τις αὐτὸν ἄγοι δαιμὼν θειοτέρα· φύσει γάρ, ὦ Φίλε, ἔνεστί τις φιλοσοφία τῇ τοῦ ἀνδρὸς διανοίᾳ. Eundem locum, quem hic respexit Cicero, postea in Oratore et spectavit et convertit, quod indicio est, quantopere ejus captus sit praestantiâ. „ Est enim, inquit [1]), ut scis, quasi in extrema pagina Phaedri his ipsis verbis loquens Socrates: Adolescens etiamnunc, o Phaedre, Isocrates est; sed quid de illo augurer, lubet dicere. Quid tandem? inquit ille. Majore mihi ingenio videtur esse, quam ut cum orationibus Lysiae comparetur. Praeterea ad virtutem major indoles: ut minime mirum futurum sit, si, quum aetate processerit, aut in hoc orationum genere, cui nunc studet, tantum, quantum pueris, reliquis praestet omnibus, qui unquam orationes attigerunt: aut, si contentus his non fuerit, divino aliquo animi motu majora concupiscat. Inest enim naturâ philosophia in hujus viri mente quaedam. — Haec de adolescente Socrates auguratur."

Diximus de operis forma: nunc de argumento et rebus, quas continet, agendum. Ac continuo quidem Phaedrum rursus Platonis cogitamus, quem videtur dialogum prorsus edidicisse Cicero, ac velut meditandi sibi legem proposuisse. Ut enim Pla-

1) C. 13.

tori in scribendis dialogis ab eloquentia est orsus, hujusque veram naturam ac principia exploravit, quo rhetorum et oratorum studia ab inani verbositate et ostentatione avocaret, ita pariter Cicero, dialogos scribere instituens, ad exemplum *Phaedri* de eloquentia scripsit primum. Qua in re sic est versatus, ut philosophum e schola Platonis ortum, institutum in ea et formatum a teneris, unice decebat. Tenuit ille ante omnia et expressit in hoc dialogo, quod juvenis Rhetorica scribens, senserat magis, quam explicuerat, divinaverat magis quam auctoritate sua probare et affirmare potuerat: *sapientiam sine eloquentia parum prodesse civitatibus, eloquentiam vero sine sapientia nimium obesse, plerumque, prodesse nunquam.* Hoc principio tanquam fundamento nixa est omnis Crassi oratio; hinc et longius procedit et serpit latius, sed eodem tamen ex omni redit graviore disputatione. Et quamvis ceteros habet, quibuscum disputat, dissentientes, illud tamen tuetur, persuadetque iis, locum de vita et moribus totum esse oratori perdiscendum: cetera vero si non didicerit, tamen posse eum, si quando opus fuerit, ornare dicendo, si modo erunt ad eum delata, et ei tradita [1]).

Nec vero temere nos, [2]) supra, Platonicum illud prorsus esse atque ex Phaedro ductum, asseveravimus. Nominavit hunc auctorem suum Cicero,

1) L. I. c. 15. 2) P. 154.

quum deinde *Oratorem* conscriberet. Dicit ibi enim alia multa eximia, tum vero, quae huc pertinent [1]: » Fateor me oratorem, si modo sim, aut etiam, quicunque sim, non ex rhetorum officinis, sed ex Academiae spatiis exstitisse. Illa enim sunt curricula multiplicium variorumque sermonum, in quibus *Platonis* primum sunt impressa vestigia; sed et hujus et aliorum philosophorum disputationibus et exagitatus maxime orator est, et adjutus. Omnis enim ubertas, et quasi silva dicendi, ducta ab illis est. — Positum sit igitur in primis, sine philosophia non posse effici, quem quaerimus, eloquentem [2]: non ut in ea tamen omnia sint, sed ut sic adjuvet, ut palaestra histrionem. Nam nec latius, nec copiosius de magnis variisque rebus sine philosophia potest quisquam dicere: si quidem etiam in Phaedro Platonis hoc Periclem praestitisse ceteris dicit oratoribus Socrates, quod is Anaxagorae physici fuerit auditor: a quo censet, eum, quum alia praeclara quaedam et magnifica didicisset, uberem et foecundum fuisse, quarumque (quod est eloquentiae maximum) quibus orationis modis quaeque animorum partes pellerentur. Quod idem de Demosthene existimari potest: cujus ex epistolis intelligi licet quam frequens fuerit Pla-

1) C. 5. 2) Itaque Tusc. Quaest. I. 3. *Si aliquid oratoriae laudi nostrâ attulimus industriâ, multo studiosius philosophiae fontes aperiemus, e quibus etiam illa manabant.* Saepius idem profiteri solet.

tonis auditor." Ac Crassum quidem in libris de Oratore sic fecit loquentem 1): » Quoniam philosophia in tres partes est tributa, in naturae obscuritatem, in disserendi subtilitatem, in vitam atque mores; duo illa relinquamus atque largiamur inertiae nostrae: tertium vero, quod semper oratoris fuit, nisi tenebimus, nihil oratori, in quo magnus esse possit, relinquemus." In hoc vero opere sic contra Cicero judicavit 2): » Nec vero sine philosophorum disciplina, genus et speciem cujusque rei cernere, neque eam definiendo explicare, nec tribuere in partes possumus: nec judicare, quae vera, quae falsa sint, neque cernere consequentia, repugnantia videre, ambigua distinguere. Quid dicam de natura rerum, cujus cognitio magnam orationis suppeditat copiam? de vita, de officiis, de virtute, de moribus? sine multa earum ipsarum rerum disciplina, aut dici, aut intelligi potest?" Sic Cicero Platonis in Phaedro vestigia secutus, omnem, qua late patet, philosophiam, dialecticam in primis et morum disciplinam oratori subjecit ac vindicavit.

His expositis, quae integram possent praebere disputationis materiem, aliud nobis maxime est in libris de Oratore animadvertendum, cujus rectae explicationi nullo modo instituti nostri fines sufficiunt. Spectat illud sententiam Ciceronis de com-

1) L. I. c. 15. 2) C. 4.

mini omnium artium, quae ad humanitatem pertinent, vinculo. Memoraverat istud vinculum in oratione Liciniana [1], sed leviter, utpote in causa forensi: hic vero idem ipsius Platonis auctoritate et disertius commendat et latius persequitur. Namque in postrema operis parte sic Crassus [2]: „Est etiam illa Platonis vera, et tibi, Catule, certe non inaudita vox: *omnem doctrinam harum ingenuarum et humanarum artium uno quodam societatis vinculo contineri.* Ubi enim perspecta vis est rationis ejus, qua causae rerum atque exitus cognoscuntur, mirus quidam omnium consensus doctrinarum concentusque reperitur." Viderunt Interpretes, *vinculi* nomen, quod in Liciniana oratione et opere de Oratore occurrit, e Platone sumtum esse. Exstat in Epinomide [3]: Δεσμὸς γὰρ πεφυκὼς πάντων τούτων (τῶν μαθημάτων) εἰς ἀναφανήσεται διανοουμένοις, Rem vero ipsam e Politia, palmario Platonis dialogo, explicare lubet.

Quo tamen priusquam accedamus, paucis repetenda est Ciceronianae institutionis memoria. Nam quum ille ex peregrinatione Rhodum veniens, in Posidonii se tradidisset disciplinam, id, ut meminimus [4], longe maximum ex viri eruditissimi consuetudine ac doctrina percepit, philosophiam omnium artium inventricem esse habendam. Hanc

1) C. 1. 2) L. III. c. 6. 3) P. 992. A. 4) Supra p. 135. sqq.

sententiam, sane egregiam, fusius ille subtiliusque, quam oportebat, persecutus est, ideoque a Seneca merito reprehensus videtur. At Cicero, hujus gravitate atque auctoritate viri commotus, dignam rem arbitrabatur, quam meditationi suae investigationique subjiceret: utque in plerisque Posidonius auctorem sententiae suae Platonem excitaverat, ita ipse postea ex hoc communi fonte rem sibi totam et ducendam et explicandam esse existimavit.

Quamobrem ad Platonem hoc consilio adductus, habuit profecto Cicero, quo ad hanc illustrandam philosophiae ubertatem sponte sua perveniret. Praecipue vero in Politia, quod quaerebat, invenit. Complexus enim hoc opere Plato est omnem artium ac doctrinarum ambitum, ut facile quis inde universam encyclopaediam efficiat 1). Duxit autem universas e philosophia, quae, ut ipsum nomen indicat, proprie est cognoscendi amor, studium sapientiae. In primis igitur respexit ibi Plato ingenium humanum, cui videlicet insita sunt optima quaeque studia, quae cum ad virtutem, tum ad sapientiam tendunt, atque unicuivis homini optima ratione sunt excolenda. Ex hac autem ingenii humani indagatione ut Plato praestantissimas sententias duxit, ita pariter Cicero inde philosophiae laudem explicuit, ubi dicit 2): „Neque enim te

1) Secutavi huc patris mei consilium in conscribenda vernacule *Scholia Socratica*. Vid. imp. Initia Phil. Plat. Vol. II. P. I. p. 26. 2) De Orat. I. 2.

fingit, laudandarum artium omnium procreatricem quandam, et quasi parentem eam, quam φιλοσοφίαν Graeci vocant, ab hominibus doctissimis judicari." Tum vero eo loco [1], qui in primis memorabilis est, quod eum Cicero, ex Posidoniana schola desumtum, adhibito Platone perpurgavit: » In vetere illa Academia, inquit, non ii soli numerantur, qui Academici vocantur, sed etiam Peripatetici veteres, quorum princeps Aristoteles, quem, excepto Platone, haud scio an recte dixerim principem philosophorum. Ad eos igitur converte te quaeso. Ex eorum enim scriptis et institutis quum omnis doctrina liberalis, omnis historia, omnis sermo elegans sumi potest, tum varietas est tanta artium, ut nemo sine eo instrumento ad ullam rem illustriorem satis ornatus possit accedere. Ab his oratores, ab his imperatores ac rerum publicarum principes exstiterunt. Ut ad minora veniam, mathematici, poetae, musici, medici denique ex hac, tanquam ex omnium artium officina profecti sunt [2]." Hoc igitur Ciceronis de vera philosophia ac germanis philosophis judicium eo est praestantius, quod ille non, ut acceperat a Posidonio, artium item illiberalium, quas βαναύσους καὶ ἀνελευθέρας Plato vocabat, parentem philosophiam esse existimabat.

1) De Fin. V. 5. 2) Pariter Tusc. Quaest. I. 1. *Omnium artium, quae ad rectam vivendi viam pertineant, ratio et disciplina studio sapientiae, quae philosophia dicitur, continetur.*

Itaque alterum, artes omnes, quae ad humanitatem pertinent, communem originem a philosophia habere, paucis explicuimus. Hinc vero simul alterum illud explicatur, easdem artes et doctrinas, a communi stirpe oriundas, societatis quoque vinculo contineri. Nam philosophia cum dicatur mater esse, artes ipsae consanguineae cognatasque sint necesse est. Vidit id celebravitque Cicero in eodem hoc de Oratore opere, in quo id videtur egisse, ut invidiam illam, quam singularum artium doctores in extollendis suis quique facultatibus contemnendisque ceteris prodebant, diluaret, ac consensum concentumque universarum gravissimis argumentis probaret. Inchoavit igitur in his libris Cicero, ut acute animadvertit Quinctilianus, qui ex hoc potissimum opere disciplinam suam omnem futuri oratoris hausit, *orbem illum doctrinae tradere, quam Graeci ἐγκύκλιον παιδείαν vocant*, ut existimaretur, nullius artis nulliusque doctrinae, ingenuo homine dignae, requiri in eo oportere disciplinam, qui aliquando summam esset habiturus dicendi vim et copiam [1]). Huc illa spectant, quae Cicero in operis prooemio posuit, quaeque deinceps gravissimorum virorum disputationibus committit explicanda: »Ego prudentissimorum hominum artibus eloquentiam contineri statuo [2]). Sed nimirum majus est hoc quiddam, quam homines

1) Idem videtur consultius in lib. de Rep. instituisse.
2) C. 2.

opinantur, et pluribus ex artibus studiisque collectum. Quid enim, quis aliud in maxima discentium multitudine, summa magistrorum copia esse causae putet, nisi rei (eloquentiae) incredibilem quandam magnitudinem ac difficultatem? Est enim et scientia comprehendenda rerum plurimarum — omnes animorum motus penitus stant pernoscendi — accedat eodem oportet lepos quidam facetiaeque et eruditio libero digna — tenenda praeterea est omnis antiquitas, exemplorumque vis; neque legum ac juris civilis scientia negligenda est. — Quamobrem mirari desinamus, quae causa sit eloquentium paucitatis, quum ex iis rebus universis eloquentia constet, quibus in singulis elaborare permagnum est [1]. — Ac mea quidem sententia nemo poterit esse omni laude cumulatus orator, nisi erit omnium rerum magnarum atque artium scientiam consecutus [2]." Spectat eodem locus a nobis supra [3] laudatus: „Sit enim, video, unam quandam omnium rerum, quae essent erudito homine dignae, atque eo, qui in republica vellet excellere, fuisse doctrinam; quam qui accepissent, si iidem ingenio ad pronuntiandum valuissent, et se ad dicendum quoque non repugnante natura dedissent, eloquentiâ praestitisse."

Miretur verò quis, quî factum sit, ut Cicero in hac omni, quam instituit, disquisitione, *eloquen-*

1) C. 5. 2) C. 6. 3) P. 176.

dum praecipue spectaverit, quum, Platonem secutus, *philosophiae* in eodem opere omnium summas dedisset partes. In quo, ni fallor, explicando ipsa ratio ac natura gentium est distinguenda, qua accidit, ut Plato et Cicero in pari philosophiae aestimatione disparem viam secuti sint. Apud Graecos exstiterunt e philosophorum scholis summi oratores, priusque excoli ratiocinandi ars quam dicendi facultas coepta est: contra Romani, teste Cicerone, *celeriter compleni sunt oratorem* 1), quum adhuc in cunis esterae artes ac philosophia vagirent. Pro hac autem gentium diversitate, idem Plato *philosophiae*, quod Cicero, pro summo Romanorum eloquentiae studio, *eloquentiae*, sed cum philosophiâ conjunctae, tribuit. Sic autem quum in re consentirent, in explicandi vero modo a se invicem discederent, factum est, ut, prouti Plato in praeclaro opere educare philosophum institueret, Cicero oratorem sibi sumeret omnium artium disciplina ac varietate instituendum. Hoc autem agentes, communi illud consilio perficere studuerunt, ut vinculum artium omnium, quae ad humanitatem pertinerent, intelligeretur.

Manifesta res apud Platonem est: datâ is operâ in *Politia* instituit erudivitque philosophum; apud Ciceronem autem ita Antonius 2): » Quare ego tibi oratorem sic jam instituam, si potuero,

1) Tusc. Quaest. I. 3. 2) L. II. 29.

ut, quid efficere possit, ante perspiciam. Sit enim mihi tinctus literis, audierit aliquid, legerit, ista ipsa praecepta acceperit; tentabo quid deceat, quid voce, quid viribus, quid spiritu, quid lingua efficere possit." — » Non erit, ut opinor, iniqua partitio, si, quum ego hunc oratorem, quem nunc fingo, ut institui, crearo, eluero, confirmaro, tradam eum Crasso, et vestiendum et ornandum. Tum Crassus: Tu vero, inquit, Antoni, perge, ut instituisti. Neque enim est boni, neque liberalis parentis, quem procrearit, et eduxerit, eum non et vestire et ornare [1])." — » Ego autem, si quem nunc plane rudem institui ad dicendum velim, his potius tradam assiduis uno opere, eandem incudem diem noctemque tundentibus, qui omnes tenuissimas particulas, atque omnia ininima mansa, ut nutrices infantibus pueris, in os inserant. Sin sit is, qui et doctrina mihi liberaliter institutus, et aliquo jam imbutus usu, et satis acri ingenio esse videatur, illuc eum rapiam, ubi non seclusa aliqua aquula teneatur, sed unde universum flumen erumpat [2])." — Tum vero ubi de moribus agit, ad quos informandos requiritur praesertim philosophiae vis [3]): » Valet igitur multum ad vincendum, probari mores, instituta et facta et vitam eorum, qui agent caussas, et eorum, pro quibus. — Ho-

1) Eod. l. c. 28. 2) Eod. l. c. 39. 3) Eod. l. c. 43.

rum igitur exprimere mores oratione, justos, integros, religiosos, timidos, perferentes injuriarum, mirum quiddam valet."

Patuit nobis, qua ratione Cicero, Platonicâ philosophiâ imbutus, de eloquentia existimaverit, eique non angustos limites praescripserit, sed requisiverit ad ejus summam laudem universam ἐγκύκλιον παιδείαν. Potuit autem unus ille omnium optime ad suspiciendam hanc tantam praestantiam accedere, quod a teneris inde, uti vidimus, omni doctrina liberali institutus [1], quorsum apud se illa valuisset, hoc praesertim tempore perceperat. Neque vero, scriptis his *de Oratore* libris, argumentum illud, characteri Romanorum unum in paucis aptum, dimisit, sed rursus iterumque in eo elaboravit. Nam, postquam in extrema parte operis Crassum dicentem fecerat de oratorum varietate, qui in suis singuli generibus fuissent perfecti, suscepit peculiariter eadem de re in *Bruto* historice scribere, de qua philosopha ratione disseruerat [2]. Tandem vero, quo omnibus suis numeris absoluta esset haec materia et illustrata Latinis literis pateret, in Oratore perfectum informavit oratorem. Fecit id, roganti Bruto obsecuturus.

---

1) Cf. Auct. *Dial. de Oratoribus.* c. 30. 2) Id. l. l. *Notus est nobis utique Ciceronis liber, qui* Brutus *inscribitur, in cujus extrema parte, nam prior commemorationem veterum oratorum habet, sua initia, suos gradus, suae eloquentiae velut quandam educationem refert.*

Cujus enim voluntate excitatus, de eloquentia ita scripserat, ut omnis doctrinae orbis tanquam fundamentum ei subesse judicaretur, ejusdem nunc hortatu *eloquentiae genus, quod sibi videretur summum ac perfectissimum* [1], *perfectique oratoris speciem* [2] exprimere studuit. Hac autem in re perficienda dux ei Plato fuit. Expresserat antea, ut vidimus [3] quum ad populum diceret, perfectum Imperatoris exemplar, quod intuebatur in Cn. Pompeji, quem commendabat, persona. Ac tum quidem videbatur nobis id agens, sublimi imbutus Platonis de ideis doctrinâ; sed poterat fieri, ut inducti specie erraremus. Verum omnem erroris suspicionem, cujus tum fortasse accusabamur, ipsa vox Ciceronis refutabit. Est enim haec in Oratore maxime memoratu digna sententia [4]: » Atque in summo oratore fingendo talem informabo, qualis fortasse nemo fuit. Non enim quaero, quis fuerit, sed quid sit illud, quo nihil possit esse praestantius. Sed ego sic statuo, nihil esse in ullo genere tam pulcrum, quo non pulcrius id sit, unde illud, ut ex ore aliquo, quasi imago, exprimatur, quod neque oculis, neque auribus, neque ullo sensu percipi potest: cogitatione tantum et mente complectimur. Itaque et Phidiae simulacris, quibus nihil in illo genere perfectius videmus, et his picturis, quas nominavi, cogitare

1) Orat. c. 1. 2) C. 19. 3) Supra p. 173. sqq. 4) C. 2.

tamen possumus pulciora. Nec vero ille artifex, quum faceret Iovis formam, aut Minervae, contemplabatur aliquem, e quo similitudinem duceret; *sed ipsius in mente insidebat species pulcritudinis eximia quaedam, quam intuens, in eaque defixus, ad illius similitudinem artem et manum dirigebat. Ut igitur in formis et figuris est aliquid perfectum et excellens, cujus ad cogitatam speciem imitando referantur ea, quae sub oculos ipsa non cadunt: sic perfectae eloquentiae speciem animo videmus, effigiem auribus quaerimus. Has rerum formas appellat ἰδέας ille non intelligendi solum, sed etiam dicendi gravissimus auctor et magister, Plato: easque gigni negat, et ait semper esse, ac ratione et intelligentia contineri: cetera nasci, occidere, fluere, labi; nec diutius esse uno et eodem statu* 1)."

Libri
de Republica et de Legibus.

In multis, quae ad hoc usque vitae tempus Ci-

1) Cf. c. 5. Similiter igitur, Quinct. *Inst. Or.* I. 10. *Quibus ego primum hoc respondeo, quod et M. Cicero scripto ad Brutum libro frequentius testatur, non eum a nobis institui oratorem, qui sit, aut fuerit: sed imaginem quandam concepisse nos animo perfecti illius, ex nulla parte cessantis.* Cff. Initia Vol. I. p. 161. 167. II. P. III. p. 29. 79. 107.

cero scripsit, paucis locis fuit mentio facta Platonis, latuitque fere studium illud singulare, quo Platonem prosecutus est. Videbatur ergo e vulgari aliquis esse Academicorum et Peripateticorum numero. Ipse adeo, meminimus, Aristoteleo se more scribere fatebatur: quamquam constabat nobis, explicantibus ejus scripta, re vera eum cum alios Platonis dialogos, tum *Phaedrum* et *Gorgiam* scribendo expressisse. Veruntamen, ut tum sive inscius Platonis vestigia secutus est, sive dissimulavit ejus sequendi propositum, ita nunc, exutus omni aliena specie, in certamen cum eodem aemulandique gloriam se commisit. Scripsit opera *de Republica* et *de Legibus*, Platonicis operum titulis usus, quaeque ille, maximo ingenio vir, admirabiliter finxerat, ipse ad temporum suorum gentisque suae captum usumque accommodavit. Sed paucis videtur primum de operis de Republica ratione monendum.

Palmarium censetur fuisse Ciceronis scriptum. Quod non solum, quae servata sunt ab interitu, fragmenta testantur, sed etiam ratio ac diligentia, qua in eo elaborando versatus est. Novimus, quantum curae Plato in perficienda Republica posuerit, ut in corrigenda adeo castigandaque senex dicatur mortuus. Eâdem curâ iisdemque vigiliis, ipso teste, constitit Ciceroni hujus perficiendi operis de Republica labor. Nam postquam scribere instituerat, saepe scribendi totum consilium ratio-

nemque mutavit, opusque suum primum in novem libros ac dies, deinde in sex libros triduumque distribuit 1). Aliquando, hortante Sallustio, serio cogitavit de referendo ad sua tempora sermone, ut ipse dicendi partes haberet; sed obstante invidiâ temporum illud prius consilium secutus est 2). Quantâ autem aequalium laude hi libri de Republica excepti sint, ex iisdem efficere Ciceronis epistolis licet. Nam sic ad Atticum 3): »Sex libris tanquam praedibus me ipsum obstrinxi, quos tibi tam valde probari gaudeo." Item in aliâ epistolâ 4): »Ego audebo legere umquam aut attingere eos libros, quos tu dilaudas?" Tum etiam 5): »Quod si ista nobis cogitatio de triumpho injecta non esset, nae tu haud multum requireres illum virum, qui in sexto libro informatus est. Quid

1) Epist. ad. Q. Fr. III. 5. Ad Att. XIII. 19. De Div. II. 1. Tusc. Quaest. IV. 1. De Legg. I. 6. III. 2. De Amic. c. 4. 2) Epist. ad Q. Fr. l. l. — Reapse tamen Cicero videtur Sallustii consilio obsequi coepisse. Nam scribit: *Illa, quae institueram, ad te, si Romam venero, mittam. Puto enim te existimaturum, a me illos libros non sine aliquo meo stomacho esse relictos.* Cf. Maji Praef. Ed. De Rep. c. 3. Errat igitur Petrarcha, ubi in l. IV. Epist. *De rebus Famil.* Ep. 3. dicit, Ciceronem sententiam de animi immortalitate in *septimo Reipublicae* divino genere orationis asseruisse. Vid. etiam Dissert. Lit. *de Cic. de Rep. et de Legg. libris.* Auct. Schaaff Gratama. Groningae 1827. Kühner Op. l. p. 45. 118. Ersch *Encycl.* l. l. p. 229. 3) L. VI. 1. 4) Ep. 2. 3. VII. 2. 5) L. VII. 3.

enim tibi faciam, qui illos libros devorasti?" Tandem Caelius Ciceroni scribit: » Tui politici libri omnibus vigent [1]."

Neque profecto mirandum, ita non solum Ciceronis aequales, sed omnem posteritatem, ad quam integri libri illi pervenerint, judicasse [2]. Ad hos enim conscribendos accessit non minus doctrinâ consummatus et eruditione, quam aetate et ingenio maturus. Et vero, ipso teste [3], tum scripsit eos, cum gubernacula rei publicae tenebat. Factum ita est, ut in luculentissimo argumento, quod philosopho Romano unice conveniebat, velut omnem ingenii vim doctrinaeque copiam explicaret. Namque et historici munus et politici et vero philosophi suscepit, digneque, ut par est putare, tuitus est. Atque in his quidem universis quid singulatim Catoni, Panaetio, Posidonio, maximeque Polybio debuerit, aliorum exquirendi curae committimus ac commendamus. Illud cum in forma operis, tum in materiae explicatione admonitionem nostram requirit, quod e Socraticae Platonicaeque philosophiae fonte ductum videatur [4].

Postquam igitur in prooemio Epicureorum pla-

---

1) Ep. ad Fam. VIII. 1. 2) Cf. Majus l. l. c. 5. sqq. 3) De Div. II. 2. 4) De hac re data opera egerunt Thorlacius in Orat. *de placitis Cic. in lib. de Rep. obviis.* Hauniae 1824. (Leipz. Litt. Zeit. 1824. n°. 145.) J. van Persyn in Dis. *de politicis Cic. doctrina in lib. de Rep.* Amstel. 1827.

cita dubitationemque ad rempublicam adeundi impugnaverat, Panaetii auditoribus atque amicis [1], Scipioni, Laelio, Tuberoni aliisque tradit dicendi partes. Qui quamvis omnes illius aevi praestantes viri fuissent, aliud tamen alii e disciplina Panaetii perceperant, ac prae ceteris Tubero Astronomiae ita deditus, in eaque ita defixus erat, ut non magnopere curare rempublicam videretur. Quorum quidem studiis intervenit Laelius ille sapiens, opportune ex L. Furio quaerens [2]: »Ain vero, Phile, jam explorata nobis sunt ea, quae ad domos nostras, quaeque ad rempublicam pertineant, si quidem, quid agatur in coelo, quaerimus? — Quodsi studia Graecorum vos tanto opere delectant, sunt alia liberiora et transfusa latius, quae vel ad usum vitae vel etiam ad ipsam rempublicam conferre possumus. Istae quidem artes, si modo aliquid, valent, ut paulum acuant et tanquam irritent ingenia puerorum, quo facilius possint majora discere [3].“ — »Tum Tubero: Non dissentio a te, Laeli; sed quaero, quae tu esse majora intelligis? L. Dicam mehercule, et contemnar a te fortasse, cum tu ista coelestia de Scipione quaesieris, ego autem haec, quae videntur ante oculos, esse magis putem quaerenda. Quid enim mihi L. Pauli nepos quaerit, quomodo duo soles visi sint, non quaerit, cur

1) Cf. Ritter Op. l. Vol. IV. p. 78. 2) L. 1. c. 15. 3) C. 18.

in una republica duo senatus et duo paene jam populi sint 1)?"

Cernimus jam continuo Socraticum illud, philosophiam a coelo esse devocandam et in vitam communem adducendam, in exordio operis dominari. Non abhorrebat ipse Laelius a rerum coelestium indagatione. Nam ita Philus 2): »Me quidem, ut hercule etiam te ipsum, Laeli, omnesque avidos sapientiae cognitio ipsa rerum consideratioque delectat." Ne ipse quidem Plato Socratem suum volebat illius expertem studii videri 3), atque etiamsi ille sprevit re vera rerum ipsarum curam, Plato contra magni fecit, ut declarat ejus de Republica opus. Sed eas res omnes, ut Laelius coepit dicere, referendas ad juventutem censebat, ut recte enutrita iis majora posset appetere ac consequi, non ut iis excolendis propositum vitae censeret contineri. Quamobrem quaerenti Mucio 4): » Quid esse igitur censes, Laeli, discendum nobis, ut istud efficere possimus ipsum, quod postulas?" sic idem respondet: » Eas artes, quae efficiant, ut usui civitati simus: id enim praeclarissimum sapientiae munus, maximumque virtutis vel documentum vel officium puto."

Spectant haec, ut quisque videt, juventutis educationem, quam quanti faceret Plato, in operibus de Republica ac de Legibus, cum de industria ejus

1) C. 19. 2) C. 13. 3) Cf. c. 10. 4) C. 20.

rationes omnes explicaret, declaravit. Ejusdem igitur rei expositionem, quam verbo attigerat, diligenter fuseque deinde in libro tertio [1]) Cicero est persecutus, atque illam ἐγκύκλιον παιδείαν, quam ad summum eloquentiae studium requisiverat, quum ageret de *oratore*, hic pariter *rectori reipublicae*, qui esset perfectus futurus, vindicavit ac tribuit. Firmavit eam disciplinam, ut fecerat Plato, legibus, quae nostram non tulerunt aetatem [2]). Habuit autem Cicero in eo sermone, quem de justitia institutum a Laelio narravit, egregiam opportunitatem celebrandi Platonis, quem in proœmio iis doctissimis hominibus annumeraverat, qui, etiamsi ipsi rem publicam non gessissent, tamen, quoniam de republica multa quaesivissent et scripsissent, functi aliquo reipublicae munere essent [3]).

Commendavit igitur Cicero in hoc opere vitae philosophiam, qualem in libris de Republica Plato proposuerat. Apud utrumque autem ad rempublicam tota haec disciplina refertur. Hinc illud, quod postea dixit [4]): » De republica magnus locus philosophiaeque proprius, a Platone, Aristotele, Theophrasto totaque Peripateticorum familia tractatus uberrime." Sed, ut Plato, dicente apud Ciceronem Scipione, princeps ille, quo nemo in scribendo praestantior fuit, aream sibi sumpsit, in qua civitatem exstrueret arbitratu suo; prae-

1) Cf. Majus Ed. p. 215. 2) Cf. De Legg. III. 13.
3) L. I. c. 7. 4) De Div. II. 2.

claram ille quidem fortasse, sed a vita hominum abhorrentem et a moribus [1], optandamque magis quam sperandam, neque quae posset esse, sed in qua ratio rerum civilium perspici posset, ita Cicero, rationibus iisdem, quas ille viderat, non in umbra et imagine civitatis, neque illa vaganti oratione, sed defixâ in una amplissimaque republica, ejusque et boni publici et mali causam attingere voluit [2]. Quare tanquam optimam rem publicam, Romanam proposuit, quam Scipio et nascentem, et crescentem et adultam et jam firmam robustamque delinearet [3]. In his quidem ducta pleraque sunt e Catonis Originibus, tum, quod regiminis genera attinet, e Polybiani operis libro sexto. Sed ubi tandem de justitia, ipso omnis justitiae fundamento, agitur, redit ad Platonem Cicero, quaeque ex Socratico ille fonte hauserat, in libros suos retulit. Namque, uti in Politia Platonis de justitia sermo est, eamque exagitatam a Thrasymacho pergunt vituperare Adimantus et Glauco, quo Socrati augeatur atque amplificetur ejus commendandae vindicandaeque opportunitas, similiter, cujus rei memoriam servavit Augustinus, Cicero fecit. *In tertio libro*, ait [4], *magnâ conflictatione res acta est. Suscepit enim Philus ipse disputationem eorum, qui sentirent*

1) L. II. c. 11. 2) C. 30. 3) Eod. l. c. 1. 4) De Civit. D. l. II. c 21.

sine injustitia regi non posse rempublicam, purgans se praecipue, ne hoc ipse sentire crederetur [1]*: egitque sedulo pro injustitia contra justitiam, ut hanc esse utilem reipublicae, illam vero inutilem, verisimilibus rationibus et exemplis velut conaretur ostendere. Tum Laelius, rogantibus omnibus, justitiam defendere aggressus est, adseruitque, quantum potuit, nihil tam inimicum, quam injustitiam civitati, nec omnino nisi magnâ justitiâ geri aut stare rempublicam posse.* Habemus hic plane ejusdem argumenti effigiem, quod Platonici operis fuisse novimus. Cujus quamvis pauciora ad nostram aeta-

---

1) Hinc l. III. c. 4. Philus dicit: » Praeclaram vero causam ad me defertis, cum me improbitatis patrocinium suscipere vultis. — Geram morem vobis, et me oblinam sciens: quod quoniam qui aurum quaerunt, non putant sibi recusandum, nos cum justitiam quaeramus, rem multo omni auro cariorem, nullam profecto molestiam fugere debemus." — Et in Noniano fragmento: » Neque ego hercle ex mea animi sententia loquar, sed ut Carneadi respondeatis." — Ut autem Philus honeste se excusat, rem malam aggressurus, ita in Politia Platonis similis habetur Glauconis excusatio l. II. p. 358. πολὺ γὰρ ἀμείνων ἄρα ὁ τοῦ ἀδίκου ἢ ὁ τοῦ δικαίου βίος, ὡς λέγουσιν, ἐπεὶ ἔμοιγε, ὦ Σώκρατες, οὔ τι δοκεῖ οὕτως. — μάλιστα δ' οἶμαι ἄν σου πυθέσθαι· διὸ κατατείνας ἐρῶ, τὸν ἄδικον βίον ἐπαινῶν. L. I. p. 336. E. μὴ γὰρ δὴ οἴου, εἰ μὲν χρυσίον ἐζητοῦμεν, οὐκ ἄν ποτε ἡμᾶς ἑκόντας εἶναι ὑποκατακλίνεσθαι ἀλλήλοις ἐν τῇ ζητήσει, καὶ διαφθείρειν τὴν εὕρεσιν αὐτοῦ· δικαιοσύνην δὲ ζητοῦντας, πρᾶγμα πολλῶν χρυσίων τιμιώτερον. —

tem fragmenta venerunt, quam ut quidquam statuere de eo possimus, probabile tamen est, haec omnia ad rationem Platonicam exacta esse. Tum vero, quod Plato conversionem civitatis optimae in timocraticam, oligarchicam, democraticam, denique in tyrannicam descripsit, id. fecit Cicero, ut e tyrannidis apud eum efficere licet descriptione. Quantam autem in ipsius animum vim haec tota habuerit Platonis disputatio, indicio est locus in libris de Divinatione [1]: » Id ipsum a Platone philosophiaque didiceram, naturales esse quasdam conversiones rerum publicarum, ut eae tum a principibus tenerentur, tum a populis, tum a singulis." Operae autem pretium est, excitare Ciceronis e libris de republica locum, unde, quam studiose Platonem secutus sit, efficiatur. Quo loco conversam a se Platonis sententiam sic proponit, ut eam Scipio ipse Latine interpretetur: » Tum fit illud, ait Scipio [2], quod apud Platonem est luculente dictum, si modo id exprimere latine potuero; nam difficile factu est: sed conabor tamen. » Cum enim, inquit, inexplebiles populi fauces exaruerunt libertatis siti, malisque usus ille ministris, non modice temperatam, sed nimis meracam libertatem sitiens hauserit; tum magistratus et principes, nisi valde lenes et remissi sint et large sibi libertatem mi-

1) L. II. 2. 2) L. I. c. 43.

nistrent, insequitur, insimulat, arguit; praepotentes, reges, tyrannos vocat." Puto enim tibi haec esse nota. L. Vero mihi, inquit ille, notissima. S. Ergo illa sequuntur: » Eos, qui pareant principibus, agitari ab eo populo, et servos voluntarios appellari, eos autem, qui in magistratu privatorum similes esse velint, eosque privatos, qui efficiant, ne quid inter privatum et magistratum differat, ferunt laudibus et mactant honoribus, ut necesse sit, in ejusmodi republica plena libertatis esse omnia; ut et privata domus omnis vacet dominatione, et hoc malum usque ad bestias perveniat; denique ut pater filium metuat, filius patrem negligat: absit omnis pudor, ut plane liberi sint: nihil intersit civis sit an peregrinus: magister ut discipulos metuat et iis blandiatur; spernantque discipuli magistros: adolescentes ut senum sibi pondus assumant, senes autem ad ludum adolescentium descendant, ne sint iis odiosi et graves. Ex quo fit, ut etiam se liberius gerant; uxores eodem jure sint, quo viri; quin tantâ libertate canes etiam et equi, aselli denique, liberi sint, sic incurrant, ut iis de via decedendum sit. Ergo ex hac infinita, inquit, licentia haec summa cogitur, ut ita fastidiosae mollesque mentes evadant civium, ut si minima vis adhibeatur imperii, irascantur et perferre nequeant: ex quo leges quoque incipiunt negligere, ut plane sine ullo domino sint [1])."

1) Eximiae hujus descriptionis apud Platonem memor,

Haud immerito sane hanc vertendi Platonis diligentiam Scipioni Cicero tribuit. Quod sane non fecisset, nisi intellexisset, a Panaetio institutum virum nequaquam a Platonis lectione rudem esse potuisse. Idemque recte in alia disputatione ita facit dicentem Laelium 1): » Praeclare intelligo, Scipio, te in his Graeciae disciplinis, quas reprehendis, cum populis nobilissimis malle, quam cum *tuo Platone* luctari, quem ne attingis quidem." Sed elucet idem in Cicerone studium, quem ceperat mirifica illa Platonici sermonis elegantia, ut eam inserere scriptis suis studeret.

Ut igitur haec apte Cicero in Scipionis perso-

---

facere non possum, quin ex ea locum quendam sub oculos vocem. L. IX. p. 575. A. ita legi solet: τυραννευόσις δὲ ὑπὸ Ἔρωτος — οὔτέ τινος φόνου δεινοῦ ἀφέξεται οὔτε βρέματος οὔτ' ἔργου, ἀλλὰ τυραννικῶς ἐν αὐτῷ ὁ Ἔρως ἐν πάσῃ ἀναρχίᾳ καὶ ἀνομίᾳ ζῶν, ἅτε αὐτὸς ὢν μόναρχος, τὸν ἔχοντά τε αὐτὸν ὥςπερ πόλιν ἄξει ἐπὶ πᾶσαν τόλμαν. — Satis inepta videntur illa: ὥςπερ πόλιν ἄξει. Quae quamvis sic reddat Stalbaum.: *tanquam civitatem adiget ad quaelibet audacia facinora*, miror virum doctiss. non offendisse. Conjeci legendum: τὸν ἔχοντά (τε) αὐτὸν ὥς περίπολον ἄξει ἐπὶ πᾶσαν τόλμαν, hoc sensu: *Amor, utpote tyrannus, eum qui ipso constrictus tenetur, tanquam satellitem s. speculatorem emittet ad quaelibet audacia facinora.* Quamvis autem verbi περίπολος usus non sit Platonis, tamen aliorum, v. c. Plutarchi, vitâ Numae p. 71. Alcib. p. 205. De Orac. Def. p. 436, auctoritate probatur. Erat etiam Athenis περιπόλων cohors, quae ad custodiendos fines ex adolescentibus legebatur. Exstat item vox περίπολις eodem significatu. 1) L. IV. c. 3.

nam contulerat, ita eidem de immortalitate animi disputandi partes tribuit. Quod tamen quum videretur parum conveniens Panaetii discipulo, qui illam negasset Stoicorum more, sublimem exitum operi suo quaesivit Cicero, quo et illa traderetur doctrina a Scipione, et Platonici dialogi haberetur similitudo quaedam. Itaque quum Plato mytho de Ere Pamphylo in vitam redeunte placitum illud exposuisset, quo simul significaret vitae honeste peractae remunerationem, Cicero Scipionis somnium refert, quo vindicaret animorum immortalitatem. Accedit autem rerum coelestium interpretatio, a Platone quidem petita, sed ex communi fonte, Pythagorea obscuritate, derivata. Sed haec de primario Ciceronis opere sufficiant: agamus de ejus *Legibus*.

Cicero quum, scribere de Republica instituens, Platonis se comitem professus esset [1], noluit ab eo prius discedere, quam ad finem institutum iter perduxisset. Itaque libros item de legibus scripsit [2], quorum librorum, quod mirati sunt multi,

1) Plinius Hist. Nat. Praef. 2) De numero eorum non constat. Davisius in Praef. *octo* fuisse conjecit. Morabinus, teste Mosero in Introd. Edit. suae p. 27., qui eandem cum Goerenzio et Schutzio sententiam tuetur, *sex* esse voluit. Macrobius quintum librum laudat (Sat. VI. 4), unde *quinque* fuisse Fabricius in Bibl. Lat. t. I. p. 188. existimavit. — Cff. P. Rami *Praelect. ad lib. de Legg.* Basil. 1580. Chapmanni *Diss. Chronol. de aetate libr. de Legg.* Addita est Epist. Tunstalli ad Middletonum. — Mos. Introductio. Dignae etiam sunt, quae ad hanc dis-

nusquam ullam fecit in scriptis mentionem. Recte igitur plerique e silentio illo effecerunt, post obitum demum Ciceronis editos esse 1); edendi vero consilio quid potissimum videretur obstitisse, non attigerunt. Qua de re paucis est agendum nobis, ut et ratio operis constet, et gravissima quaestio, si minus tota, certe aliqua ex parte expediatur.

Ut omnia scripta Ciceronis, exceptis Rhetoricis, Oratore ac de Officiis, ita hi de Legibus libri in dialogo et disputatione versantur. Habent tamen aliquid peculiare, sibique unice proprium. Nam quum ceteros adhuc Cicero, exorsus a praeclaro *de Oratore* opere, in diegematico genere scripsisset, missâ illa pristinâ consuetudine, novâ quadam formâ ornare literas Latinas instituit. Quod non animadvertentes, quicunque Ciceronem a more suo discedere voluisse non suspicarentur, periisse prooemium questi sunt, a quo solenniter cetera sua scripta inchoare soleat. Sed istorum explosa sententia meliori cessit. Voluit enim Cicero, Platonici Phaedri memor, quem quasi in succum et sanguinem converterat, sed cujus tamen argumento magis adhuc, quam formâ in scribendo erat usus, voluit, inquam, formam quoque hujus singularemque venustatem exprimere, ac genti suae commendare. Quo factum,

quisitionem conferantur Dispp. Gratanse, p. 31 sqq. Engelbronneri *de loco Cic. qui est de Legg.* Amst. 1820 p. 4.

1) Turnebus *Argum. in Lib. de Legg.* Moseri l. l. Cf. Ersch *Encycl.* l. l. p. 230. Kühner Qq. L. p. 48. sqq. 119.

ut hi *de Legibus* libri *dramatis* sint instar. Nam continuo in Arpinatem villam ejusque summam amoenitatem mente tota traducimur, ut lucum illum ac celebratissimam quercum, deinceps vero accuratiorem locorum situm, flumina, insulamque, velut in picta tabula nobis videamur conspicere. Quid multa? Phaedrum nobis prorsus cum dramatis ac descriptionum genere, tum admirabili sermonis elegantia ac varietate dialogus hic Ciceronis refert.

Verum, ut in his singula fere Platonis in scribendo Phaedro rationem exprimunt, ut videatur senescens Cicero retulisse illius juventutem, ita aliud est, quod magnopere in eodem dialogo a Platonis consuetudine abhorreat, yeraeque dialogi naturae minime sit consentaneum: semet ipsum fecit dramatis personam. Socrati solebat Plato, quoties de rebus gravissimis scribere meditabatur, dicendi partes tribuere; ipse quidem disputationi nunquam se diserte immiscuit. Ad cujus exemplum Cicero de eloquentia et de republica singulatim datâque opere disquisiturus, utriusque disputationis principatum penes eos esse voluit, qui in republica, vel rerum gestarum gloriâ, vel eloquentiae laude plurimum praestitissent. Discessit hinc quodammodo, quum *Brutum* scriberet; quo scribendo opere explere studuit ultimum disputationis *de Oratore* locum. Agendum igitur hîc erat de claris et praecedentis aevi et sui temporis oratoribus. Quapropter ser-

monem enarravit, quem nuper cum Bruto et Attico de hoc argumento propter Platonis statuam instituerat. In quo prodiit quidem ipse, sed ab amicis ad eam disputationem invitatus, quam detrectare amicitiae causâ non putabat licere. Videbatur igitur sermonis illius referendi specie suam quandam occultare audaciam velle. Nunc vero in conficiendo *drama-te* semetipsum veluti in scena posuit, arripuitque principis personae auctoritatem. Quo adductus Sallustii hortatu videtur, ut non temere ex Epistola ad Quintum fratrem [1]) suspicari licet. „ Admonitus sum, inquit, ab illo, multo majore auctoritate illis de rebus dici posse, si ipse loquerer *de republica*, praesertim quum essem consularis et is, qui in maximis versatus in republica rebus essem: quae tam antiquis hominibus attribuerem, ea visum iri ficta esse: oratorium sermonem in illis nostris libris, quod esset de ratione dicendi, belle a me removisse; ad eos tamen retulisse, quos ipse vidissem: Aristotelem denique, quae de republica et praestante viro scribat, ipsum loqui." Profecto non est mirandum, hac oratione viri commotum se fateri Ciceronem, et, qua ratione illi sibique satis faceret, sedulo quaesivisse. Videtur igitur, ductus eo proposito, ut maximos motus civitatis Romanae attingeret, medicinamque jacenti ministraret, illud consilium esse secutus, quod, ne incurrens in sua tempora offenderet quempiam,

1) L. III 5.

prudenter antea dimiserat; factumque est ita, ut oblitus plane proprium Platonici dialogi characterem, sulque ac sui temporis memor, semet ipsum in literas referret; postea vero, absoluto opere, sive verecundiâ quadam motus, sive offendendi suos aequales metu, ab edendi consilio abduceretur.

Egimus de forma operis; sequitur, ut de argumento disquirámus. Videtur autem id studuisse Cicero, ut temporibus suis consuleret scribendo, eamque optimam censuisse viam, si ex vetere reipublicae disciplina mores et instituta ab oblivione aequalium in lucem usumque vitae protraheret. Itaque, quum *vanas* censeret *sine moribus leges*, institutum Platonis secutus, in quinto de Republica libro, conamemorato Ennii versu: *moribus antiquis res stat Romana virisque* de institutione juventutis egerat, eamque rectis principiis studuerat stabilire. In eodem proposito mansit, et cum ludere Catonem soleret, quod is ita ageret in civitate diceretque sententiam, tanquam in Platonis πολιτείᾳ, non tanquam in Romuli faece versaretur [1], satius duxit institutionis diligentiam legum firmare severitate, ut paulatim in emendatione temporis sui progrederetur. Altius vero disputationem suam repetens, ex intima philosophia hauriendam juris disciplinam putavit, ac, prius quam ad legum lationem perveniret, juris et aequi originem sedulo quaesivit ex

1) Ad Att. II. 1.

humanae naturae praestantia [1]). Cujus investigationis qualem viam secutus sit, hujus loci non est disquirere. Multa enim a Stoicis, a Chrysippo praesertim, petivit: quamquam hi fundamenta doctrinae suae Platoni debuerunt. Nobis tantum attendenda praeclara quaedam sententia de naturae lege, quae fons juris apud Ciceronem habetur. Sic enim ille [2]: » Jam vero illud stultissimum, existimare omnia justa esse, quae scita sint in populorum institutis, aut legibus. Est enim unum jus, quo devincta est hominum societas, et quod lex constituit una; quae lex est recta ratio imperandi atque prohibendi." Alio loco [3]: » Hanc igitur video sapientissimorum fuisse sententiam, legem neque hominum ingeniis excogitatam, nec scitum aliquod esse populorum, sed aeternum quiddam, quod universum mundum regeret, imperandi prohibendique sapientiâ. Ita principem illam et ultimam, mentem esse dicebant, omnia ratione aut cogentis aut vetantis Dei: ex qua illa lex, quam Dii humano generi dederunt, recte est laudata. Quamobrem lex vera atque princeps, apta ad jubendum et ad vetandum, ratio est recta summi Jovis." — Similiter lex vocatur [4]: recta et a numine Deorum tracta ratio, imperans honesta, prohibens contraria. — Haec omnis disputatio nititur illâ, quam instituerat Cicero in libris de Republica, ubi de justitia

1) L. I. c. 5. 2) De Legg. I. 15. 3) L. II. 4.
4) Orat. Phil. XI. c. 12.

agebat; cujus nobis fragmentum Lactantius servavit [1]). Ut autem ducta sententia est ex Platone, qui similiter legem λογισμὸν in libris de Legibus [2]) vocat; ita quoque ad rectam Ciceroniani loci interpretationem Plato nobis est adhibendus. Hominem is nobis proponit δύο κεκτημένον ἐν αὑτῷ ξυμβούλω, ἐναντίω τε καὶ ἄφρονε, ὧ προσαγορεύομεν ἡδονὴν καὶ λύπην· πρὸς δὲ τούτοιν ἀεὶ δόξας μελλόντων, οἷν κοινὸν μὲν ὄνομα ἐλπίς, ἴδιον δὲ φόβος μὲν ἡ πρὸ λύπης ἐλπὶς, θάρσος δὲ ἡ πρὸ τοῦ ἐναντίου· ἐπὶ δὲ πᾶσι τούτοις λογισμός, ὅ τί ποτ' αὐτῶν ἄρειον ἢ χεῖρον, ὅς, γενόμενος δόγμα πόλεως κοινόν, νόμος ἐπωνόμασται. Haec quidem Plato, quae obscure et recondite significaverat, more suo admirabili imagine illustravit. Quare locum, quamvis longiusculum, apponamus. Περὶ δὴ τούτων, inquit, διανοηθῶμεν οὑτωσί· θαῦμα μὲν ἕκαστον ἡμῶν ἡγησώμεθα τῶν ζώων θεῖον, εἴτε ὡς παίγνιον ἐκείνου, εἴτε ὡς ἐπουδῇ τινὶ ξυνεστηκός· οὐ γὰρ δὴ τοῦτό γε γιγνώσκομεν· τόδε δὲ ἴσμεν, ὅτι ταῦτα τὰ πάθη ἐν ἡμῖν, οἷον νεῦρα ἢ σμηρίνθοι τινὲς ἐνοῦσαι, σπῶσί τε ἡμᾶς καὶ ἀλλήλαις ἀνθέλκουσιν ἐναντίαι οὖσαι ἐπ' ἐναντίας πράξεις, οὗ δὴ διωρισμένη ἀρετὴ καὶ κακία κεῖται· μιᾷ γάρ φησιν ὁ λόγος δεῖν τῶν ἕλξεων ξυνεπόμενον ἀεὶ καὶ μηδαμῇ ἀπολειπόμενον ἐκείνης ἀνθέλκειν τοῖς ἄλλοις νεύροις ἕκαστον· ταύτην δ' εἶναι τὴν τοῦ λογισμοῦ ἀγωγὴν χρυσῆν καὶ ἱεράν, τῆς πόλεως κοινὸν νόμον ἐπικαλουμένην. Ducta

1) Inst. VI. 8. 2) L. I. p. 644. D.

est ex hac comparatione Platonis, ut videtur, sententia Ciceronis, *legem esse rationem, tractam a numine deorum.* Quam etsi fuerint, qui mallent e Stoa repetere, et Platoni abnegare 1), faciliorem credimus ab iis, quam veriorem, initam esse rationem. Fugit eos Platonis locus, a nobis memoratus, quem his verbis explicamus: καὶ οὕτω φανερὸν ἂν γίγνοιτο μᾶλλον, ὅτι πόλιν καὶ ἰδιώτην, τὸν μέν, λόγον ἀληθῆ λαβόντα ἐν ἑαυτῷ περὶ τῶν ἕξεων τούτων, τούτῳ ἑπόμενον δεῖ ζῆν, πόλιν δέ, ἢ παρὰ θεῶν τινὸς ἢ παρ' αὐτοῦ τούτου τοῦ γνόντος ταῦτα λόγον παραλαβοῦσαν, νόμον θεμένην, αὐτῇ τε ὁμιλεῖν καὶ ταῖς ἄλλαις πόλεσιν. Cum his autem si conferantur ea, quae Plato de institutione dicit 2), ὡς ἄρα παιδεία μέν ἐστι ἡ παίδων ὁλκή τε καὶ ἀγωγὴ πρὸς τὸν ὑπὸ τοῦ νόμου λόγον ὀρθὸν εἰρημένον καὶ τοῖς ἐπιεικεστάτοις καὶ πρεσβυτάτοις δι' ἐμπειρίαν ξυνδεδογμένον, ὡς ὄντως ὀρθός ἐστιν — vix puto dubium futurum, quin ista Stoici, a quibus sua Cicero, sed Platonem respiciens semper, hausit, *articulatim distinctoque* contraxerint, quae veteres, praesertim Plato, *fuse ac libere* disputavissent 3).

1) Turneb. Comm. in l. 1. c. 6. Ejusd. Apologia, p. 13. 14. Ed. Mos. p. 756. 2) L. II. p. 659 D. 3) De Legg. c. 13.

CAPUT V.

M. TULLII CICERONIS SCRIPTA PHILOSOPHICA.

Ab anno aetatis sexagesimo secundo usque ad mortem.

Accedimus ad finem disputationis nostrae, in quo Ciceronis vitae velut extremus actus erit absolvendus. Referet autem universe neque illam vim ingenii et alacritatem, quae a prima inde adolescentia incredibili exercitatione crevit continue et aucta fuit, neque illam animi constantiam et fortitudinem, quam praestiterat in ipso rerum discrimine summoque reipublicae tempore, neque etiam pristinum rerum gestarum splendorem ac magnitudinem. Veruntamen in dispari vitae genere parem bene de republica merendi voluntatem, majoremque, quam antea, contentionem laboris atque assiduitatem in sene Cicerone admirabimur.

Fuit enim ejus vita sic comparata, ut non in-

teresset tantum, sed etiam praeesset turbulentissimis reipublicae temporibus, atque in gravissimarum fortunae vicissitudinum raperetur societatem. Nam et adolescentia ejus inciderat in Sullae dominatum, cui, quantum patiebatur illius aetatis destituta dignitate ratio, restiterat; et vero maturam aetatem subsecuta erat, gravior tempestas Catilinariae conjurationis; quam, quum, ita eo, ut erumperet, esse videretur, Consul providerat, perduraverat, penitusque dissipaverat. Tertiam autem cladem et quasi procellam, quae funesta fuit maturavitque reipublicae interitum, redux e Cilicia, et nascentem vidit, et avertere appropinquantem studuit, et superfuit erumpenti. Ab eo autem tempore, quo in unius rediit dominatum civitas, nec Caesaris consilia, ut antea Sullae, aliquam videbantur spectare rerum civilium libertatisque instaurationem, a gerenda reipublicae summaque ejus cura, cui se dare totumque vovere consueverat, avocavit animum. Lugebat eam, a se aliquando ab interitu servatam, evanescentem jam diuturna, nunc prostratam ac fere nullam; cujus non solum nulla daretur excitandae restituendaeque via, sed ne superesset quidem tentandi facultas. Gravissima haec ei fuit cogitatio, qui pater patriae erat salutatus, quique ad eam sublevandam ac stabiliendam omnes ingenii vires, omnia naturae doctrinaeque instrumenta, omnem denique aetatis contentionem vigilantiamque contulerat.

Versam autem in tyrannidem civitatem alia mala,

quae propria Ciceronis ac domestica fuerunt, sententa sunt. Accessit enim reipublicae libertatisque desiderio, quod ei commune cum ceteris patriae amantibus fuit, duplex calamitas, quam solus perferebat, divortii cum Terentia faciendi necessitas, in primis obitus Tulliae. Incredibile dictu est, quantum Cicero ex hac malorum accessione ac velut cumulo tristitiae doloriſque ceperit. Unica ejus filia, triginta duo annos nata, tertium nupta, doctissima mulier et sagacissima, solatium ei ac perfugium in publica adversitate summaque rerum desperatione fuerat: illâ, deliciis suis, orbatus senex, spe omni intercidebat, nec tam ei mors optabilis, quam vita acerba atque intolerabilis videbatur. Animi autem aegritudini, quae penitus insidebat, tantum abfuit, ut mederentur vel philosophorum sermones, vel undique ab amicis, ab ipso etiam Caesare, missae ad eum consolandum literae, ut eorum consolatione consides dolor identidem exasperaretur, visque moeroris medicinae superaret efficacitatem 1). Memorabile ejus rei documentum epistola est, qua S. Sulpicii consolatoriis literis respondit 2): » Opprimor interdum, inquit, et vix resisto dolori, quod ea me solatia deficiunt, quae ceteris simili in fortuna non defuerunt. Nam et Q. Maximus et L. Paulus et M. Cato, iis tempori-

1) Plutarchus *Vitâ Cic.* c. 41. Middleton t. II. p. 139 sqq. Bayle *Dict.* voce *Tullia.* 2) Ep. ad Fam. IV. 6. Cf. *Lact. Inst.* l. III. c. 28.

bus fuerant, ut eorum luctum ipsorum dignitas consolaretur ea, quam ex republica consequebantur. Mihi autem, amissis ornamentis iis, quae ipse commemoras, quaeque eram maximis laboribus adeptus, unum manebat illud solatium, quod ereptum est. Non amicorum negotiis, non reipublicae procuratione impediebantur cogitationes meae: nihil in foro agere libebat: adspicere curiam non poteram: existimabam, id quod erat, omnes me et industriae meae fructus et fortunae perdidisse. Sed, quum cogitarem haec mihi tecum et cum quibusdam esse communia, et quum frangerem jam ipse me, cogeremque illa ferre toleranter: habebam quo confugerem, ubi conquiescerem, cujus in sermone et suavitate omnes curas doloresque deponerem. Nunc autem, hoc tam gravi vulnere, etiam illa, quae consenuisse videbantur, recrudescunt. Non enim, ut tum me a republica maestam domus excipiebat, quae levaret, sic nunc domo maerens ad rempublicam confugere possum, ut in ejus bonis acquiescam. Itaque et domo absum et foro, quod nec eum dolorem, quem a republica capio, domus jam consolari potest, nec domesticum respublica."

Intelligitur ex hoc plurimisque aliis locis [1]) (nam in re tam gravi tamque ardua neque mens consistere nec conticescere lingua poterat), intelligitur hinc magnitudo doloris, quo hoc tempore afflictus

[1]) Middl. l. l.

tenebatur. Ac primum quidem animus, moestitiâ contractus, neque efferre ese aut explicare aut in libertatem vindicare poterat. Totos dies ea legebat, eaque scribebat, ut ii, qui secum essent, difficilius otium ferrent, quam ipse laborem 1). Attamen vix quicquam solatii e literarum studiis cepit. Nam, quum jam totus in eo versaretur, ut ad consecrandam dilectissimae filiae memoriam propagandamque in perpetuitatem temporis aliquod fanum e marmoreo lapide aedificaret 2), apud Atticum deverti. Abdidit se in ejus bibliotheca, et quidquid ab ullo scriptum inveniebat de moerore minuendo, perlegit. Inde Asturae in solitudinem se conjecit, in qua carebat omnium colloquio, cumque mane se in silvam abstruderet densam et asperam, non exibat inde ante vesperum. » Omnis mihi, inquit, erat sermo cum literis; eum tamen interpellabat fletus, cui repugnabam quoad poteram, sed adhuc pares non eramus 3)." Tum vero, misso aedificandi proposito, aliam init rationem literisque mandare Tulliae memoriam instituit. Scripsit librum de *luctu minuendo*, quem *Consolationem* appellavit; eumque brevi post *Hortensius* excepit. Quod cum ageret, ecce! totus philosophiae literarumque studiis recreatus sibique redditus est.

1) Epist. ad Att. l. XII. Ep. 40. 2) Middleton, l. l. p. 147. 3) Epist. ad Att. l. l. Ep. 14. 15. 40.

Consolatio et Hortensius.

Perierunt nobis, exceptis paucis, neque iis continuis fragmentis [1], haec scripta Ciceronis, ut de iis divinare magis, quam aliquid certi statuere liceat. Veruntamen, quod initio jam nobis et ante omnia est animadvertendum, *quae puerum adspexerat Musa, eadem nec senem reliquit.* Constans apud eum maximeque efficax fuit amor Platonis [2], quod ipsa, quae supersunt, fragmenta testantur. Namque ille, quo animum luctu levaret, non se ad Stoicos convertit, sed veteris Academiae nobilissimum philosophum Crantorem legit [3], cujus erat *de luctu* libellus non magnus, verum aureolus, et ut Tuberoni Panaetius praeceperat, ad verbum ediscendus [4]. » Feci, inquit, quod profecto ante me nemo, ut ipse me per litteras consolarer. [5]."

---

1) Collegerunt utriusque operis fragmenta, quasque animadversiones adjecerunt, Sigonius in *Cic. Fragm.* p. 20. 26. 98. 118. sqq. Patricius in *Cic. Fragm.* p. 49. 56. 156. 163 sqq. Prae ceteris conf. Orellius Ed. t. IV. p. 479. 489 sqq. 2) Doleo non contigisse mihi lectionem libelli de *Ciceronis philosophia Platonica*, auct. Waldino, Prodiit Jenae 1754. 3) Plinius, Hist. Nat. Praef. *Cicero in consolatione filiae, Crantorem, inquit, sequor.* — Hieronymus in Epitap. Nepot. c. 4. *Legimus Crantorem, cujus volumen ad confovendum dolorem suum secutus est Cicero.* 4) Acad. l. II. c. 44. Eundem librum *Consolationem* appellavit in Tusc. Quaest. l. I. c. 48. cf. l. III. 29. 5) Epist. ad Att. l. XII. 14. 28. Petrarcha Epist. l. IV. 4. *Fecit hoc primus in morte dilectissimae filiae M. Cicero, divino ille quidem et inaccessibili stylo: fecit idem multis post seculis in morte fratris Ambrosius.*

» Aegritudinis sedatio explicata est in Consolationis libro, quem in medio (non enim sapientes eramus) moerore et dolore conscripsimus; quodque vetat Chrysippus, ad recentes quasi tumores animi remedium adhibere, id nos fecimus, naturaeque vim attulimus, ut magnitudini medicinae doloris magnitudo concederet 1). » Omisit igitur Chrysippum et qui ex eadem schola exstiterant philosophi, discessit vero in veteris Academiae sinum, sibique ab ea afferri medicinam afflicto fractoque patiebatur. Atqui, ut ipse fatetur, omnia consolandi genera, quorum aliis alii moveri solent, in unam consolationem conjecit: erat enim in tumore animus, et omnis in eo tentabatur oratio 2). Disputationis autem cursus hic verosimiliter fuit, ut primum miserias hominum deploraret, qui quasi luendorum scelerum causâ in hanc vitam prodiissent; sed moderatissime tamen omnia perferenda esse persuaderet sibi 3); ut deinde fortunam suam colligendis multorum clarissimorum virorum exemplis studeret sedare 4); tandemque de aeternitate animorum, et de Tullia inter Deos ad immortalitatis famam consecran-

1) Tusc. Quaest. l. IV. c. 29. Cf. De Div. II. 1.
2) Tusc. Quaest. l. III. c. 31. Epist. ad Att. l. XII. 21.
3) Tusc. Quaest. l. 31. De Civ. D. XIX. 4. *Quis sufficit quantovis eloquentiae flumine vitae hujus miserias explicare? quam lamentatus est Cicero in Consolatione de morte filiae, sicut potuit: sed quantum est quod potuit?* Cf. Lactant. Inst. l. III. c. 18. 19. 4) Tusc. Quaest. l. III. c. 28. Hieron. in Epit. Nepotiano.

de disputaret. 1). A Platonica autem philosophia, quam profitebatur Crantor, si minus totius rei adumbrationem, certe postremum de divina animi natura argumentum in suos usus videtur adhibuisse. Servavit nobis ejus loci fragmentum ipse auctor in libris suis 2): » His ipsis verbis, inquit, in Consolatione sententiam, quam secuti sumus, expressimus. Animorum nulla in terris origo inveniri potest. Nihil enim est in animis mixtum atque concretum, aut quod ex terra natum atque fictum esse videatur: nihil ex aut humidum quidem, aut flabile aut igneum. His enim in naturis nihil inest, quod vim memoriae, mentis, cogitationis habeat, quod et praeterita teneat, et futura provideat, et complecti possit praesentia: quae sola divina sunt, nec invenietur unquam, unde ad hominem venire possint, nisi a Deo. Singularis est igitur quaedam natura, atque vis animi, sejuncta ab his usitatis notisque naturis. Ita, quidquid est illud, quod sentit, quod sapit, quod vivit, quod vigut, caeleste et divinum, ob eamque rem aeternum sit necesse est. Nec vero Deus ipse, qui intelligitur a nobis, alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quaedam et libera, segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens et movens, ip-

1) Lact. Inst. l. I. c. 15. Cf. Sigonius l. l. p. 118. Cff. Fabricius Bibl. Lat. t. I. p. 138. Corradus p. 266. Ersch *Encycl.* l. l. p. 251. Fuhrmann Op. l. t. II. p. 397. Bähr p. 462. 2) Tusc. Quaest. l. I. c. 27.

siquis praedita morte aeternitatem." Admitto, fateor, huic sententiae Aristotelica ratio est. Veruntamen, si fontem quaerimus, unde ducta sit, reperiemus eam in eximia Socratis, quae est in Phaedone, de animi natura ac divina indole disputatione. Non est, quod hoc locis ipsis demonstremus. Pauca enim Socrates in hunc modum disserit. Quod autem proxima attinet, quae apud Ciceronem extant: "Nec enim omnibus iidem illi sapientes arbitrati sunt eundem cursum in coelum patere. Nam vitiis et sceleribus contaminatos, deprimi in tenebras atque in coeno jacere dixerunt: castos autem animos, puros, integros, incorruptos, bonis etiam studiis atque artibus expolitos, levi quodam et facili lapsu ad Deos, id est, ad naturam sui similem, pervolare [1]." ducta haec plane sunt e nobili Phaedonis loco [2]: καὶ κινδυνεύουσιν οἱ τὰς τελετὰς ἡμῖν οὗτοι κατασήσαντες οὐ φαῦλοί τινες εἶναι, ἀλλὰ τῷ ὄντι πάλαι αἰνίττεσθαι, ὅτι ὃς ἂν ἀμύητος καὶ ἀτέλεστος εἰς Ἅιδου ἀφίκηται, ἐν βορβόρῳ κείσεται· ὁ δὲ κεκαθαρμένος τε καὶ τετελεσμένος, ἐκεῖσε ἀφικόμενος, μετὰ θεῶν οἰκήσει.

1) Lact. Inst. l. III. c. 19. Cf. c. 14: ubi illa culpat Ciceronis ex Consolatione: *sed nescio quis, nos teneat error, aut miserabilis ignoratio veri.* Quodsi consimile fuerit hujus scripti argumentum atque Hortensii, est quod miremur, verba illa sic displicuisse Lactantio. Probabiliter enim, hujus vitae miserias deplorans Cicero, spectavit animum corporis vinculis impeditum, ac philosophiae demum ope solvere illa nitentem, et ad spem immortalitatis expergiscentem. 2) p. 69. C. 81.

Dispulit profecto haec scribendi diligentia, producta Ciceronis mentis caligines. Sed maxime patuit medicinae, quam aegro animo ministraverat, vis salutaris, quam, recens ab illa scriptione, totum se in philosophiam insinuaret, a cujus studio jam dudum abstinuerat. Lubenter hoc tempore, tanquam in portum, ad eam confugit, et quoniam non poterat amplius eloquentiâ uti, ut patriae afflictae adesset, prodesse quavis ratione civibus et communicare sua cum iis consilia haud desiit. Quum igitur intelligeret, hac sua aetate Romanam juventutem, sive id fieret gravissimorum virorum auctoritate, sive excellentium oratorum exemplis, seu denique quadam sua levitate et errore, non eo, quo par esset, studio et ardore philosophiam tractare, excitabatur denuo ad omnem illinc ex animis tollendum errorem. Scripsit eo consilio *Hortensium*, illius nomine inscriptum dialogum, qui et sibi amicissimus in gerenda republica, at in oppugnanda philosophia acerrimus adversarius fuerat. » Cohortati, inquit, sumus, ut maxime potuimus, ad philosophiae studium eo libro, qui est inscriptus Hortensius, universaeque philosophiae vituperatoribus respondimus 1)." Item: » De universa philosophia, quanto opere et expetenda esset et colenda, satis, ut arbitror, dictum est in Hortensio 2)." Ad Brutum autem: » Philosophiae vi-

1) De Div. II. 1. 2) Tusc. Quaest. III. 5.

tuperatoribus satis responsum est eo libro, quo a nobis philosophia defensa, et collaudata est, quum esset accusata et vituperata ab Hortensio. Qui liber et tibi probatus videtur et iis, quos ego posse judicare arbitror [1]). Hortensio igitur dedit laudandae eloquentiae vituperandaeque philosophiae partes; ipse cum ceteris, ut videtur, personis suscepit philosophiae patrocinium. Qua in re quid praestiterit universe, juvat cognoscere. Nam, qui legit Hortensium, Augustinus, his eum laudibus extulit, *Ego*, ait [2], *ab usque undevicesimo anno aetatis meae, postquam in schola Rhetorum librum illum Ciceronis, qui Hortensius vocatur, accepi, tanto amore philosophiae succensus sum, ut statim ad eam me transferre meditarer.* Alio loco [3]: *Usituto jam discendi ordine pervenieram in librum quendam cujusdam Ciceronis. Liber ille ipsius exhortationem continet ad philosophiam, et vocatur Hortensius. Ille vero liber mutavit affectum meum. Viluit mihi repente omnis vana spes, et immortalitatem sapientiae concupiscebam aestu cordis incredibili. Non enim ad ornandam linguam referebam illum librum, neque mihi locutionem, sed, quod*

1) De Fin. I. 1. Cff. Acad. II. 2. De Off. II. 2. Trebellius Pollio in Vita Salonini Gallieni. c. 2. *M. Tullius Hortensium ad exemplum Protreptici scripsit.* 2) De Vita Beata p. 705. Ed. Lugd. 1563. 3) Confess. l. III. c. 4.

loquebatur, persuaserat. Addit autem, quae maxime sunt animadvertenda: *Et ego illo tempore hoc solo delectabar in illa, exhortatione, quod non illam aut illam sectam, sed ipsam, quaecunque esset, sapientiam ut diligerem, et quaererem, et assequerer, et tenerem, atque amplexarer fortiter, excitabar sermone illo et accendebar et ardebam.* Patet hinc luculenter, id egisse hoc conscribendo opere Ciceronem, ut ad liberam veritatis inquisitionem juventutem exhortaretur, non, ut ingenia perversis philosophorum commentis oneraret potius quam explicaret, et partium studiis irretita teneret. Quo lubentius amplectimur acutissimi viri sententiam 1), existimantis, Posidonii opus, quod Περὶ θεῶν inscripsit, et quo probabiliter complexus est, celebrem illam philosophiae commendationem, a Cicerone diligenter esse adhibitam, quo plenius copiosiusque argumentum suum tractaret. Quum vero interierit opus celebratissimum, jacturamque fecerimus, gravissimâ quavis majorem, ad eam tamen aliquatenus leniendam ea, quae supersunt, reliquiae facere possunt. Inde enim, quamvis non

1) Bakius *Disp. de Posidonio*, p. 56. Ersch. *Encycl.* l. l. Cff. praeterea de singulis fragmm. Muretus. *Opusc.* Vol. II. p. 46. 77. Aud. Schottus. *Not. Ciceron.* l. II. c. 2. Heumannus in *Act. Phil.* Vol. II, p. 462. sqq. Middleton t. II. p. 157. Bähr p. 462. Kühner Op. l. p. 51.

restituatur operis ratio, tamen summa Platonis admiratio intelligetur.

Librum enim quartum Politiae jam continuo illa verba referunt, quae ex Hortensio Nonius [1] laudat: » Ut ii, qui combibi purpuram volunt, sufficiunt prius lanam medicamentis quibusdam, sic literis talibusque doctrinis ante excoli animos, et ad sapientiam concipiendam imbui et praeparari decet." Plato autem, ubi de fortitudine ejusque praesidiis loquitur, eadem usus est comparatione [2]: *Οὐκοῦν οἶσθα, ὅτι οἱ βαφεῖς, ἐπειδὰν βουληθῶσί βάψαι ἔριά ὥστ' εἶναι ἀλουργά, πρῶτον μὲν ἐκλέγονται ἐκ τοσούτων χρωμάτων μίαν φύσιν τὴν τῶν λευκῶν, ἔπειτα προπαρασκευάζουσιν οὐκ ὀλίγῃ παρασκευῇ θεραπεύσαντες, ὅπως δέξεται ὅτι μάλιστα τὸ ἄνθος, καὶ οὕτω δὴ βάπτουσι· καὶ ὃ μὲν ἂν τούτῳ τῷ τρόπῳ βαφῇ, δευστοὺν γίγνεται τὸ βαφέν.* Praeterea philosophiae notio ubivis e sententia Socratis et Platonis constituitur, ut sit *investigandi cupiditas, amor investigandae veritatis* [3]. Occurrunt item sententiae aliae, quae primum illum Socratis in Phaedone de corporis reprehensione sermonem videntur spectare, veluti: » Nostri animi cum corporibus copulati, ut vivi cum mortuis sunt conjuncti [4]." — » Vidit enim, appendicem animi esse corpus, nihilque esse in eo magnum [5]." —

---

1) V. *Sufficit* et *Imbuere*. 2) p. 429 E. 3) Orell. Fragm. Cic. t. IV. p. 480. fr. 17. p. 486 fr. 88. 4) Aug. *cont. Julian. Pelag.* l. IV. c 15. 5) Nonius v. *Appendix.*

Nec sine causa videmur suspicari, ad Hortensium pertinere verbum desiderativum, quod a Cicerone usurpatum de philosophis esse Augustinus prodit: *morituriunt* [1]). Omnis porro ex eodem fonte petendus de voluptatibus sermo: » Ad juvenilem libidinem copia voluptatum gliscit illa, ut ignis oleo [2]). " — » Voluptates, autem nulla ad res (non) necessarias invitamenta afferunt senibus [3]). " — » An vero voluptates corporis expetendae, quas vere et graviter a Platone dictae sunt illecebrae esse atque escae malorum? Quae enim confectio est valetudinis, quae deformatio coloris et corporis, quod turpe damnum, quod dedecus, quod non evocetur atque eliciatur voluptate? cujus motus ut quisque est maximus, ita est inimicissimus philosophiae. Congruere enim cum cogitatione magna voluptas corporis non potest. Quis enim, quum utatur voluptate ea, qua nulla possit major esse, attendere animum, inire rationes, cogitare omnino quidquam potest? Cujus autem tantus est gurges, qui dies et noctes sine ulla minimi temporis intermissione velit ita moveri suos sensus, ut moventur in summis voluptatibus? Quis autem bona mente praeditus non mallet nullas omnino nobis a natura voluptates datas [4])? " — Tandem memorabilis locus, qui ex postrema operis parte ser-

1) De Grammatica. Ed. l. p. 365. 2) Nonius v. *Gliscit.* 3) Id. v. *Invitare.* 4) Aug. *Cont. Jul. Pelag.* l. IV. c. 14. Nonius v. *Conficere.*

vatus, similiterque e Platonis Phaedone desumtus, in primis attendendus est 1): » Quae nobis dies noctesque considerantibus acuentibusque intelligentiam, quae est mentis acies, caventibusque, ne quando illa hebescat, id est, in philosophia viventibus, magna spes est, aut si hoc, quo sentimus et sapimus, mortale et caducum est, jucundum nobis, perfunctis muneribus humanis, occasum ne quę molestam exstinctionem et quasi quietem vitae fore: aut si, ut antiquis philosophis iisque maximis longeque clarissimis placuit, aeternos animos ac divinos habemus, sic existimandum est, quo magis hi fuerint semper in suo cursu, id est, in ratione et investigandi cupiditate, et quo minus se admiscuerint atque implicuerint hominum vitiis et erroribus, hoc iis faciliorem adscensum et reditum in coelum fore. Quapropter, ut aliquando terminetur oratio, si aut exstingui tranquille volumus, quum in his artibus vixerimus, aut si ex hac in aliam haud paulo meliorem domum sine mora demigrare, in his studiis nobis omnis opera et cura ponenda est." Haec autem qui legit, quis est, qui non Socratem in Phaedone laetissimâ se spe recreantem, ac consolantem immortalitatis opinione audire videatur?

---

1) Aug. *de Trinit.* l XIV. c. 19. Cf. Initia Vol. I. p. 63.

Philosophandi ratio Ciceronis in ceteris scriptis.

Cicero, postquam in Hortensio universam philosophiam omnemque ejus ambitum complexus erat, in eodem deinceps studio consenuit. » Ego enim, inquit, dum me ambitio, dum honores, dum causae, dum reipublicae non solum cura, sed quaedam etiam procuratio, multis officiis implicatum et obstrictum tenebat, haec inclusa habebam: et, ne obsolescerent, renovabam, quum licebat, legendo. Nunc vero et fortunae gravissimo perculsus vulnere, et administratione reipublicae liberatus, doloris medicinam a philosophia peto, et otii oblectationem hanc honestissimam judico. Aut enim huic aetati hoc maxime aptum est, aut iis rebus, si quas dignas laude gessimus, hoc in primis consentaneum; aut etiam ad nostros cives erudiendos nihil utilius; aut, si haec ita non sunt, nihil aliud video, quod agere possimus [1].“ Attamen, quum in Hortensio id potissimum curasset, ut et suum animum philosophiâ relaxaret, et juventutis ingenia excitaret ad ejus studium; nunc excitata illa et inflammata doctrinâ excolere instituit. Eo consilio eruditionem suam explicuit literis, et ad civium suorum emolumentum contulit. Quocirca

1) Acad. I. 3.

omnis ejus postrema vitae cura *in exponenda principum philosophorum sectarumque philosophiâ, literisque latinis explicandâ* censeri potest versata fuisse. Itaque sic scribit: » Quum defensionum laboribus senatoriisque muneribus, aut omnino, aut magna ex parte, essem aliquando liberatus; retuli me, Brute, te hortante maxime, ad ea studia, quae retenta animo, remissa temporibus, longo intervallo intermissa revocavi: et quum omnium artium, quae ad rectam vivendi viam pertinerent, ratio et disciplina studio sapientiae, quae philosophia dicitur, contineretur, hoc mihi Latinis literis illustrandum putavi [1]). " Multo autem disertius consilium suum exponit, ubi ait [2]): » Sic parati eramus, ut, nisi quae causa gravior obstitisset, nullum philosophiae locum esse pateremur, qui non Latinis literis illustratus pateret. Quod enim munus reipublicae afferre majus melìusve possumus, quam si docemus atque erudimus juventutem? his praesertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapsa est, ut omnium opibus refrenanda ac coercenda sit. Nec vero id effici posse confido, quod ne postulandum quidem est, ut omnes adolescentes se ad haec studia convertant. Pauci utinam! quorum tamen in re publica late patere poterit industria. Equidem etiam ex iis fructum capio laboris mei, qui jam aetate provecti

1) Tusc. Quaest. l. I. 1. 2) De Div. II. 2.

in nostris libris acquiescunt: quorum studio legendi meum scribendi studium vehementius in dies incitatur. Magnificum illud etiam, Romanisque hominibus gloriosum, ut Graecis de philosophia literis non egeant. Ac mihi quidem explicandae philosophiae causam attulit gravis casus civitatis, quum in armis civilibus nec tueri meo more rem publicam, nec nihil agere poteram, nec quid potius, quod quidem me dignum esset, agerem, reperiebam. Dabunt igitur mihi veniam mei cives, vel gratiam potius habebunt, quod quum esset in unius potestate respublica, neque ego me abdidi, neque deserui, neque afflixi, neque ita gessi, quasi homini aut temporibus iratus; neque ita porro aut adulatus aut admiratus fortunam sum alterius, ut me meae poeniteret. Pristinis igitur orbati muneribus, haec studia renovare coepimus, ut et animus molestiis hac potissimum re levaretur, et prodessemus civibus nostris, qua re cunque possemus. In libris enim sententiam dicebamus, concionabamur, philosophiam nobis pro republica substitutam putabamus."

Recensens igitur libros suos editos: » *Quatuor*, ait, *Academicis libris* ostendimus, quod genus philosophandi, minime arrogans maximeque et constans, et elegans arbitraremur. Quumque fundamentum esset philosophiae positum in *finibus bonorum et malorum*, perpurgatus est is locus a nobis quinque libris, ut, quid ai quoque, et quid

contra quemque philosophum diceretur, intelligi posset. Totidem subsecuti *libri Tusculanarum disputationum* res ad beate vivendum maxime necessarias aperuerunt. Quibus editis *tres libri* perfecti sunt *de Natura Deorum*, in quibus omnis ejus loci quaestio continetur. Quae ut plene esset cumulateque perfecta, *de Divinatione* ingressi sumus his libris scribere: quibus *de Fato* si adjunxerimus, erit abunde satisfactum toti huic quaestioni. Interjectus est etiam nuper liber is, quem ad nostrum Atticum *de Senectute* misimus. In primisque, quoniam philosophia vir bonus efficitur et fortis, *Cato* noster in horum librorum numero ponendus est [1]." Eos omnes tandem *Laelius*, *de Amicitia* dialogus, et *libri de Officiis* exceperunt.

His autem, interposita ipsius Ciceronis auctoritate, animadversis, exquirendum videtur, quae fuerit ejus in his scriptis philosophandi ratio. Nam solet vulgo haec iniri ratio, ut, de Ciceronis philosophia quoties quaestio moveatur, toties ex universis promiscue scriptis, sive ea florente ac maturâ sive senili edidit aetate, judicium ducatur: qua in re sane prudentia desideratur [2]. Quamdiu

1) Eod. l. c. 1. 2) Vidd. De Cic. philos. Brucker Op. l. t. II. p. 33 sqq. Tennemann *Gesch. der Phil.* V. p. 110. sqq. Zierlein *Comm. de Cic. Phil.* Halae 1779. Briegleb. *de Phil. Cic.* Coburg. 1784. Gautier de Sibert. *Exam. de la Phil. de Cic.* Op. l. Fremling *Phil. Cic.* Lond. 1795. Mezler. *Epist. de Cic. Phil. non contemnendo.* Heymann in *Act.*

enim stetit respublica et ad ejus gubernacula ipse sedebat, tamdiu *suus* fuit, id est, eloquentiâ pariter atque philosophiâ consummatus vir. Tum ille philosophiam eloquentiae civilique prudentiae adhibuit, atque efflorvit ex ea conjunctione studiorum utriusque summa perfectio; explicabatur autem illa cum orationibus habendis, tum maxime scribendis de eloquentia et de republica libris. Post vero, ubi illa temperata imperii vis, quae aequabiliter penes senatum et comitia resederat, sublata fuit, obmutuitque illa vera eloquentia, quae libertatem requirebat, ingenium illud singulare, quod vi quadam propria ad omnia summa ac laudanda ferebatur, exarsit subito, certe pari, qua antea, ratione efferre se non potuit. Itaque, ut suus esse desiit, aliorum coepit philosophorum de gravissimis philosophiae locis sententias enarrare, et Graecorum suae aetatis morem secutus, philosophiae quasi scholas habere. Quam quidem rationem, pristinae vitae consuetudini contrariam, primum aversabatur, quum de Finibus scriberet. Sic enim dicit [1]): » Primum, inquam, deprecor,

Philol. P. IX. p. 441. Herbart. *Ueber Cic. Philos.* (Königsb. Archiv. 1811. p. 22.) Meiners. *De Phil. Cic.* (Vermischte Schr. t. I. 274. sqq.) Id. *Gesch. d. Verfalls d. Sitten d. Röm.* Wyttenb. *Bibl. Crit.* I. 3. p. 2. sqq. Fuhrmann. Op. l. t. II. p. 350. sqq. Schleyermacher. *Grundl. einer Krit. d. Sittenlehre* p. 157. Middl. II. p. 418 sqq. Ersch. *Encycl.* l. l. p. 226. Bähr. p. 445. sqq. Kühner. Op. l. Ritt. Op l. Schlosser Op. l. 1) L. II. 1.

ne me, tanquam philosophum, putetis scholam vobis aliquam explicaturum; quod ne in ipsis quidem philosophis magno opere unquam probavi. Quando enim Socrates, qui parens philosophiae jure dici potest, quidquam tale fecit? Eorum erat iste mos, qui tum sophistae nominabantur: quorum e numero primus est ausus Leontinus Gorgias in conventu poscere quaestionem, id est, jubere dicere, qua de re quis vellet audire. Audax negotium! dicerem impudens, nisi hoc institutum postea translatum ad philosophos nostros esset." Sed quamvis verecundaretur illos sequi, tamen, senectute magis quam naturâ adductus, in illam lapsus consuetudinem est. » Ut Aristoteles, inquit [1], quum motus esset Isocratis rhetoris gloria, dicere etiam coepit adolescentes docere, et prudentiam cum eloquentia jungere: sic nobis placet, nec pristinum dicendi studium deponere, et in hac majore et uberiore arte versari. Hanc enim perfectam philosophiam semper judicavi, quae de maximis quaestionibus copiose posset ornateque dicere: in quam exercitationem ita nos studiose dedimus, ut jam etiam scholas Graecorum more habere auderemus. Ut enim antea declamitabam causas, sic haec mihi nunc senilis est declamatio. Ponere jubebam, de quo quis audire vellet: ad id aut sedens, aut ambulans disputabam. Fiebat

1) Tusc Quaest. l. I. 4.

ita, ut, quum is, qui audire vellet, dixisset, quid sibi videretur, tum ego contra dicerem."

Patet hinc nobis, quantam philosophandi ratio Ciceronis, cum philosophicos illos libros conscriberet, commutationem subierit. Cavendum vero, ne opinemur, doctorem eum repente umbraticum et scholasticum esse coepisse, mutatâque illâ sentiendi cogitandique sanitate, omnem plane exuisse et Socratis et Platonis et veterum omnino Academicorum amorem. Quamquam id facile quis ex ipsis Ciceronis verbis sententiisque efficiendum suspicetur. Nam in Academicis, ubi sermones narrat, quos cum Varrone habuit, Varronem inducit haec ipsi dicentem: » Sed de te ipso, quid est, inquit, quod audio: relictam a te veterem jam Academiam, tractari autem novam [1]?" Haec qui legit, facile in eam adducatur opinionem, ut existimet, recessisse Ciceronem a priscis sanae philosophiae auctoribus, missisque illis, scepticos unice secutum fuisse. De quo ut vere judicetur, *Academicorum librorum* ratio videtur explicanda.

Tantum abfuit Cicero, ut repudiaret philosophiam, quam adhuc praecipue probaverat, ut contra eam, quum ad Stoicam statuendi affirmandique pertinaciam inclinare videret, ad veterum reducere rationem inquirendique diligentiam cona-

1) Acad. I. I. c. 4.

retur. Ex ipsis hoc perspicitur Ciceronis cum Varrone in his libris sermonibus. Nam postquam Varro Antiochi de vetere Academia sententiam exposuerat: » Tuae sunt nunc partes, inquit, qui ab antiquorum ratione desciscis, et ea, quae ab Arcesila novata sunt, probas, docere, quod, et qua de causa discidium factum sit: ut videamus, satisne ista sit justa defectio. Tum Cicero: Cum Zenone, inquit, Arcesilas sibi omne certamen instituit, non pertinacia, aut studio vincendi, ut mihi quidem videtur, sed earum rerum obscuritate, quae ad confessionem ignorationis adduxerant Socratem, et jam ante Socratem, Democritum, Anaxagoram, Empedoclem, omnes paene veteres: qui nihil cognosci, nihil percipi, nihil sciri posse: angustos sensus, imbecillos animos, brevia curricula vitae, et, ut Democritus, in profundo veritatem esse demersam; opinionibus et institutis omnia teneri; nihil veritati relinqui: deinceps 1) omnia tenebris circumfusa esse dixerunt. Itaque Arcesilas negabat, esse quidquam,

1) Quamvis Goerenzius tueatur vocem *deinceps*, improbatam a Bentleio, conjiciente *denique*, tamen vix in ejus sententiam discedere nobis posse videmur. Si enim ita pergeret oratio, ut haec ultima verba statim posita essent post *esse demersam*, usum v. *deinceps* ex Viri doct. sententia lubenter agnoscerem. Verum nimis absurde vulgata se lectio habet, siquidem illa verba postponuntur τῷ *nihil veritati relinqui*. Quare pro *deinceps* legendum conjeci: *densis omnia tenebris*. — Cf. Goer. ad h. l.

quod sciri posset, ne illud quidem ipsum, quod Socrates sibi reliquisset: sic omnia latere in occulto. Neque esse quidquam, quod cerni, aut intelligi posset: quibus de causis nihil oportere neque profiteri, neque affirmare quemquam, neque assensione approbare; cohibereque semper, et ab omni lapsu continere temeritatem: quae tum esset insignis, quum aut falsa aut incognita res approbaretur: neque hoc quidquam esse turpius, quam cognitioni et perceptioni assensionem approbationemque praecurrere. Huic rationi quod erat consentaneum, faciebat: ut contra omnium sententias dies jam plerosque deduceret: ut quum in eadem re paria contrariis in partibus momenta rationum invenirentur, facilius ab utraque parte assensio sustineretur. Hanc Academiam *novam* appellant; quae mihi *vetus* videtur; si quidem *Platonem* ex illa vetere numeramus, cujus in libris nihil affirmatur, et in utramque partem multa disseruntur, de omnibus quaeritur, nihil certi dicitur 1)."

1) Acad. I. 12. Peti, ni fallor, hinc argumentum potest, quo constet, libros de Legibus diu ante hos philosophicos a Cicerone confectos esse. Nam in illis, l. I. c. 13. minus honorifice de nova Academia existimat: » Perturbatricem autem harum omnium rerum, Academiam hanc ab Arcesila et Carneade recentem, exoremus ut sileat. Nam si invaserit in haec, quae satis scite nobis instructa et composita videntur, nimias edet ruinas; quam quidem ego placare cupio, submovere non audeo."

Est sane, quod animadvertamus, Ciceronem in exponendis philosophorum de rebus gravissimis placitis, ab Academicis orsum esse. Dicit enim ad Varronem: » Ingressus sum res eas, quas tecum simul didici, mandare monimentis, philosophiamque veterem illam a Socrate ortam Latinis literis illustrare [1]." Probabile igitur est, ea quae leviter in iis, qui supersunt, libris tanguntur, uberius datâ occasione, ab ipso fonte Socratico in deperditis deducta esse [2]. Neque sane negligendum est, studiose Ciceronem Philonis sententiam, qui negasset in suis libris duas Academias esse, propugnasse [3], defensamque a Varrone Antiochi sententiam oppugnasse. Hujus enim philosophi, quamvis eo praeceptore laudatissimo esset antea usus, ferre audaciam non poterat, quod is veteris Academiae se professus studiosissimum, Stoicorum re vera sententiam in plurimis foveret, seque recentioris Academiae placitis opposuisset [4].

Sic igitur Cicero cum lubenter se in disciplinae Philonianae memoriam senex traduceret, eamque commendare civibus suis niteretur, pari Platonem, ut vi-

---

1) Acad. I. 1. 2) De horum librorum fatis cff. quae doctissime exposuit Goerenzius in Introduct. ad Ed. suam. Ad quae suas dubitationes opposuit Ch. A. Brandis (Rhein. Mus. III. p. 542. sqq.) Cf. Ersch *Encycl.* t. XVII. p. 252. sqq. 3) De Philone acute quaedam monuit Brandis. l. l. quae novissime ad meam notitiam pervenerunt. Cf. maxime Tennemann Op. l. Vol. III. 4) Supra p. 111. sqq.

dimus, amore colebat. Sed nobis, sublatis difficultatibus, quae constanti illi Platonis amori opponi posse videbantur, alia superest dirimenda quaestio. Vulgo enim sic judicari de Cicerone solet, quasi in philosophicis scriptis sceptieus esse, imo dubitare de rebus omnibus, de ipsa adeo divina natura, coeperit. Cujus rei neque futilis quaestio, et vero in promtu explicatio est. Ipsum enim in sua causa judicem suaeque sententiae interpretem Ciceronem habemus. Qui quum ad filium Marcum *de Officiis* scriberet, his verbis se ab aequalium suspicionibus defendit [1]: » Hoc autem tempore tantum nobis declarandum fuit, cur orbati rei publicae muneribus ad hoc nos studium potissimum contulissemus. Occurritur autem nobis, et quidem a doctis et eruditis quaerentibus, satisne constanter facere videamur, qui quum percipi nihil posse dicamus, tamen et aliis de rebus disserere soleamus et hoc ipso tempore praecepta officii persequamur. Quibus vellem satis cognita esset nostra sententia! Non enim sumus ii, quorum vagetur animus errore nec habeat unquam, quid sequatur. Quae enim esset ista mens vel quae vita potius, non modo disputandi, sed etiam vivendi ratione sublata? Nos autem, ut ceteri alia certa, alia incerta esse dicunt, sic ab his dissentientes alia probabilia, contra alia dicimus. Quid est igitur, quod me im-

1) De Off. II. 2.

pediat ea, quae probabilia mihi videantur, sequi; quae contra, improbare atque affirmandi arrogantiam vitantem fugere temeritatem, quae a sapientia dissidet plurimum? Contra autem omnia disputatur a nostris, quod hoc ipsum probabile elucere non possit, nisi ex utraque parte causarum esset facta contentio. Sed haec explanata sunt in Academicis nostris satis, ut arbitror, diligenter. Tibi autem, mi Cicero, quamquam in antiquissima nobilissimaque philosophia, Cratippo auctore, versaris, iis simillimo, qui ista praeclara pepererunt, tamen haec nostra, finitima vestris, ignota esse nolui."

Haec autem postrema verba, quae maxime nostra refert recte percepisse, illustrat locus ex ejusdem operis initio: » Disces tu quidem, inquit, Marce, a principe hujus aetatis philosophorum, et disces quamdiu voles (tamdiu autem velle debebis, quoad te, quantum proficias, non poenitebit): sed tamen nostra legens non multum a Peripateticis dissidentia, quoniam utrique et Socratici et Platonici volumus esse, de rebus ipsis utere tuo judicio [1])." Ex hac autem ipsa disciplinae ratione, qua Cicero

1) Prudentissime Wyttenb. *Biblioth. Crit.* Vol. II. P. IV. p. 67. vim vocabuli *utrique* sic interpretatus est, ut eo significari putet, *et ego Academicus et Cratippus Peripateticus.* Cf. Lynden de Panaetio p. 88. Similiter Cic. de Peripateticis hujus aetatis: *illa vera et elegans philosophia, ducta a Socrate, in Peripateticis adhuc permansit.* Tusc. IV. 3.

Marcum filium Athenis imbui cupiebat, intelligitur, quantopere ab illa antiquorum philosophorum familia neque ipse desciscere vellet, et, ne filius discederet, caveret. Fuerat ab illis antiquis veri maxime inveniendi causâ omnis agitata quaestio, omnis suscepta disputatio, omnis denique instituta dicendi contentio. Eamque unice placuisse Ciceroni viam, quae illorum fuerat, ex ipsius verbis luculentissime patet: » Ego, inquit, si aut ostentatione aliqua adductus, aut studio certandi, ad hanc potissimum philosophiam me applicavi, non modo stultitiam meam, sed etiam mores et naturam condemnandam puto. Nam si in minimis rebus pertinacia reprehenditur, calumnia etiam coercetur; ego de omni statu consilioque totius vitae aut certare cum aliis pugnaciter, aut frustrari quum alios, tum etiam me ipsum velim? Itaque, nisi ineptum putarem in tali disputatione id facere, quod, quum de republica disceptatur, fieri interdum solet: jurarem per Jovem, Deosque penates, me et ardere studio veri reperiendi et ea sentire, quae dicerem. Qui enim possum non cupere verum invenire, quum gaudeam, si simile veri quid invenerim? Sed, ut hoc pulcherrimum esse judicem, vera videre, sic pro veris probare falsa, turpissimum est [1]." "

Longum est ac prope infinitum, in singulis

1) Acad. l. II. c 20. Cf. Kühner Op. l. p. 72.

deinceps scriptis Ciceronis philosophicis hanc philosophandi ejus rationem datâ operâ investigare. Illud praesertim animadvertendum, non modo non in ipsius animo exstinctum atque oppressum Platonis amorem fuisse, sed crevisse atque invaluisse eo magis, quo senior fieret, propiusque a vitae fine abesset. Fuit re vera ei philosophia Platonica veluti portus, in quem, maximis per omne vitae spatium agitata tempestatibus aetas, tranquille placideque se recipere niteretur. Quod, age, exemplis quibusdam, maxime e *prima Tusculana*, confirmemus [1]).

Versatur illius libri disputatio in nobili argumento, ut cuivis aetati commendabili, ita senectuti proprio ac fere necessario. Quaestio agitatur de animorum immortalitate, diligenterque perpenditur, quid sit animus, quanta ejus diuturnitas, num mors sit malum. In quarum rerum explanatione etsi multa scholam redoleant, tamen et eruditionis copia et placitorum delectus elucent maxime. Pendet autem Cicero fere totus a Platonis auctoritate, eaque usurpat, quae evidentissime summam viri observantiam et incredibilem quendam amoris ardorem ostendunt. Hic enim quum Aristotelem longe omnibus

1) In scriptis his philosophicis accurate fere ubivis vel interpretationem Platonis, vel ductam ab ejus oratione similitudinem aut colorem notavit Kühner Op. l. p. 93 sqq. Cf. p. 74 sqq.

praeferat et ingenio et diligentiâ, Platonem, ut ipse ait [1], semper excipit. Hîc Atticum inducit dicentem: » Errare me hercule, malo cum Platone, quem tu quanti facias scio, et quem ex tuo ore admiror, quam cum istis vera sentire." Ipse autem addit: » Macte virtute! ego enim ipse cum eodem ipso non invitus erraverim [2]. Ut enim rationem Plato nullam afferret (vide, quid homini tribuam), ipsa auctoritate me frangeret [3]." Sed in ipsis etiam argumentis adhaeret Platoni, cujus diligentissime omni suae disputationi *Phaedonem* adhibet. » Quid nostra, inquit, opera opus est? num eloquentia Platonem superare possumus? evolve diligenter ejus eum librum, qui est de animo: amplius quod desideres nihil erit. [4]" Tum facta *Menonis*, Platonici dialogi, mentione, in quo memoriam Plato dicit esse vitae superioris recordationem: » Hunc locum, inquit, multo etiam accuratius explicat in eo sermone, quem habuit eo ipso die, quo excessit e vita: docet enim, quemvis, qui omnium rerum rudis esse videatur, bene interroganti respondentem, declarare, se non tum illa discere, sed reminiscendo recognoscere: nec vero fieri ullo modo posse, ut a pueris tot rerum atque tantarum insitas et quasi consignatas in animis notiones, quas ἐννοίας vocant, haberemus, nisi animus, antequam in corpus intravisset, in vi-

1) Tusc. I. 1. c. 10. 2) C. 17. 3) C. 21. 4) C. 11.

rum cognitione viguisset. Quumque nihil esset, ut omnibus locis a Platone disseritur (*nihil enim ille putat esse, quod oriatur et intereat, idque solum esse, quod semper tale sit, quale ἰδέαν appellat ille, nos speciem*) non potuit animus haec, in corpore inclusus, agnoscere; cognita attulit: ex quo tam multarum rerum cognitionis admiratio tollitur. Neque ea plane videt animus, quum repente in tam insolitum tamque perturbatum domicilium immigravit: sed quum se collegit, atque recreavit, tum agnoscit illa reminiscendo." 1). Addit deinde ea, quae Socrates a Platone narratur disputasse de duabus viis duplicibusque cursibus animorum e corpore excedentium. Sic autem desinit Socratis voce uti, ut dicat, *totam philosophorum vitam commentationem mortis esse* 2). Denique de humatione et sepultura dicturus: „quid de ea, inquit, Socrates senserit, apparet in eo libro, in quo moritur: de quo jam tam multa diximus. Quum enim de immortalitate animorum disputavisset, et jam moriendi tempus urgeret, rogatus a Critone, quemadmodum sepeliri vellet, Multam vero, inquit, operam, amici, frustra consumpsi. Critoni enim nostro non persuasi, me hinc avolaturum, neque quidquam mei relicturum. Verumtamen, Crito, si me assequi potueris, aut sicubi nactus eris, ut tibi videbitur, sepelito. Sed

1) C. 24. 2) C. 30.

mihi crede, nemo me vestrûm, quum hinc excessero, consequetur [1]."

Videmus, quantum Platoni suo Cicero senex tribuerit. Nunc *Phaedonem*, quemadmodum antea semper *Phaedrum*, usurpavit. Veruntamen ne nunc quidem hunc omisit dialogum, e quo tantum profecerat, sed ubi dabatur occasio, in suos usus sublimes ejus sententias adhibuit. Transfert adeo ex eo locum, quem Latine a se conversum retulerat in librum sextum de Republica [2]. Quem, omnibus facile notum, omittemus describere: sed quod in fine posuit, dignum est sane, quod referatur. » Licet, ait, concurrant *plebeji omnes philosophi* (*sic enim ii, qui a Platone et Socrate et ab ea familia dissident, appellandi videntur*), non modo nihil unquam tam eleganter explicabunt, sed ne hoc quidem ipsum quam subtiliter concludi sit, intelligent." Ejusdem quoque Platonis et *Critonem* memorat [3] et *Apologiâ Socratis* ita utitur, ut non dubitet Socratis sententiam Latine vertere, imo vero illius animum malit, quam eorum omnium fortunas, qui de eo judicavissent [4].

In percurrenda prima Ciceronis Tusculana accuratiores fuimus, quod in re gravissima versatur, pleneque ex ejus lectione constat, quanti Platonem Cicero fecerit. Idem vero studium Socraticae non

---

1) C. 43. 2) C. 23. 3) C. 29 et 30. fin. 4) C. 29. 41. 42.

minus quam Platonicae philosophiae in aliis ejus et scriptis et dialogis observare possemus. Ita in prooemio ad *Paradoxa*, cum scriberet ad M. Brutum, narrata scribendi causâ, hoc addit: »Eoque scripsi lubentius, quod mihi ista, παράδοξα quae appellant, maxime videntur esse Socratica longeque verissima." In primis autem in *Catone* vis illius philosophiae apparet. Quem cum ad Atticum conscribere institueret, quo communem sibi cum eo senectutis curam levaret, Platonis Politiam sibi ob oculos posuit summâque diligentiâ Catonem talem informavit senem, qualem Plato in Cephali persona ad vivum expresserat. In eodem opere rursus ea argumenta ex Platonica philosophia sumsit, quae ad illustrandum de animi immortalitate placitum, in quo elaborando totus versabatur, valere plurimum viderentur 1).

Neque vero his finibus summus Ciceronis erga Platonem amor circumscriptus fuit. Fecit hac aetate, quod fortasse se facturum dixerat, quum libros de Finibus scriberet. Illic haec occurrunt: »Si plane sic verterem Platonem aut Aristotelem, ut verterunt nostri poetae fabulas, male, credo, mererer de meis civibus, si ad eorum cognitionem divina illa ingenia transferrem! sed id neque feci adhuc,

1) Cff. in primis de hoc dialogo, quae fuse accurateque disputavit P. J. van der Ton in comment. Litt. inserta Annal. Acad. Lovan 1820.

nec mihi tamen, ne faciam, interdictum puto. Locos quidem quosdam, si videbitur, transferam, et maxime ab iis, quos modo nominavi, quum inciderit, ut id apte fieri possit 1)." Vertit iecirco Latine Platonis dialogum difficillimum, Timaeum, quo respexisse Plutarchum putem: Ἐσχόλαζεν ὁ Κικέρων, ἀφέμενος τοῦ τὰ κοινὰ πράττειν, τοῖς βουλομένοις φιλοσοφεῖν τῶν νέων· αὐτῷ δ' ἔργον μὲν ἦν τὸ τοὺς φιλοσόφους συντελεῖν διαλόγους καὶ μεταφράζειν τινὰ τοῦ Πλάτωνος 2). Simile quid instituerat, quum Protagoram Latine redderet; quem videtur dialogum juvenili potissimum aetate Latinis literis illustrasse. Itaque quum datâ operâ exponere senex coepisset philosophorum de divina natura sententias, tractaretque argumentum, Timaeo Platonico affine, non mirum est, eodem eum tempore illius vertendi cepisse consilium, ut suas utriusque dialogi, et Timaei et Protagorae, versiones in manus civium perferret 3).

---

1) De Fin. I. 3. 2) Vita Cic. c. 40 Verba τινὰ τοῦ Πλάτωνος adjeci cum auctoritate codicum, tum Mos. Dusoulii sententiâ adductus. 3) Vid. Diss. nost. p. 92. Cf. Hieron. Prooem. ad Version. Eusebii Chronic. *Vetus iste disertorum mos fuit, ut exercendi ingenii causâ Graecos libros Latino sermone absolverent. Unde et noster Tullius Platonis integros libros ad verbum interpretatus est.* Cff. Quinct. Inst. Orat. l. X. c. 5. Corradus p. 267. Fabr vita Cic. §. 45. 230. Non autem obstat Cic. locus de Fin. I. 5., quominus Protagoram juvenis interpretatus sit, ediderit senex. Diserte enim docet, se id *nondum fecisse, ut ad civium suorum cognitionem transferret di-*

Quodsi quaerimus, quae fuerit Ciceronieni hujus Timaei ratio, parum id probabiliter e fragmentis effici potest. Sed superest exordii initium, ex quo satis certo argumento patet, non omnino conversam a Cicerone totum Platonis dialogum esse, verum, exceptâ Timaei Pythagorei oratione continuâ, reliqua ipsius arbitrio conscripta atque inventa esse. Occurrit praeter Cratippum, Peripateticorum omnium facile principem, P. Nigidius Figulus a), qui juxta Varronem, multarum artium peritiâ atque varietate floruit, suaeque aetatis, inter doctissimos censebatur. Colebat idem philosophiam Pythagoream, quam exstinctam quodammodo ac prope evanescentem magna laude sustentabat. Horum duumvirorum sermonibus Cicero se fingit interfuisse, quum uterque salutandi sui causâ, quum in Ciliciam proficisceretur, convenissent Ephesum. Verisimile autem est, penes Nigidium fuisse dicendi principatum, quamquam de reliqua disputatione difficile est aliquid conjecturâ assequi. Audax vero fuisse Ciceronis consilium, cum res ipsa declarat, tum ipsius verbis confirmatur, siquidem censuit, non verborum, sed rerum obscuritatem facere, ut non intelligatur ora-

---

vinum illud ingenium, i. e. nondum edidisse ea, quae verterat. Quamquam in l. I. de Rep. c. 43. locum de tyrannide, ac nonnulla etiam in libris de Legg. ex Platone expresserat. 1) Vid. Gellius N. Att. l. IV. 9. VI. 6. XIX. 14.

tio Platonis [1]). Quamvis igitur non mirum sit, ita de hac versione judicatum esse, ut statueretur, *obscurissimum Platonis Timaeum ne Ciceronis quidem aureo ore factum esse planiorem* [2]), tamen haud inepte suspicamur, multa quae ad ejus intelligentiam plenioremque explicationem pertinerent, nostram non tulisse aetatem. Namque ut constat, a Posidonio *interpretationem Platonis Timaei* conscriptam fuisse, ita haud facile dubitemus, quin hunc libellum Cicero consuluerit, cujus hic constans mos fuisset, ut quaecunque Graeca tractaret, de iis et commonefaceret Posidonium, et exhortaretur, ut sibi consiliis judicioque adesset [3]).

---

1) De Fin. II. 5. 2) Hieron. Comment. in Amos. c. 5. Opp. t. V. p. 107. Cf. t. IV. p. 135. 3) Cff. Epist. ad Att. II. 1. XVI. 11. passim. Bakius Op. l. p. 238. De Timaeo Cic. exposuere Sigonius *in Fragm. Cic.* p. 122. A. Schottus *Nod. Cic.* l. III. c. 9. Ersch *Encycl.* l. l. p. 238. Nobbius in Ed. Orell. t. IV. p. 495. Bähr. p. 461.

CAPUT VI.

DE PRAECIPUO PHILOSOPHIAE CICERONIANAE FONTE.

Haud sane opus erit, ut longâ disputatione ea, quae ultimo hoc capite dicenda sunt, exponantur. Nam si recte nostras et instituimus disquisitiones et ad finem perduximus, patebit, ni fallor, continuo, praecipuum esse Ciceronianae philosophiae fontem, philosophiam Platonis. Verum, ut, quemadmodum ex illo fonte Platonis hauserit Cicero, pateat nobis, rem paulo diligentius perpendamus.

Ac primum quidem hoc animadvertendum, sic profecisse Ciceronem e scriptis Platonis, ut tamen innumera aliorum scripta philosophorum, quae exstabant ejus aetate, non negligeret. Huc ipsius spectabat institutionis ratio, quae ejusmodi fuerat, ut in singulas deinceps diversarum familiarum sententias adduceretur, varietatemque doctrinae, adhibito judicio atque delectu, ad elegantem vitae philosophandique usum accommodaret. Itaque Crantoris, Philonis, Antio-

chi, Panaetii, Posidonii opera tractabat. Aristotelis atque Peripateticorum reliquorum scripta, ubi Romam erant perlata et in complurium manus atque principum virorum bibliothecas pervenerant, studiose legebat. Neque vero in Stoicorum atque Epicureorum scriptis ac placitis hospes fuit, quorum multa nobis deperdita loca infinita ejus eruditio servavit.

Veruntamen, quamvis ita a prima inde aetate ad summam senectutem Graecorum scripta philosophorum lectitaret pertractaretque, tamen eos ceteris praetulit, lubentissimeque legere consuevit, quos proxime ad Platonem accessisse videbat. Non sprevit ille quidem Chrysippum, Cleanthem, Diogenem, Antipatrum, Clitomachum; admirabatur eorum doctrinam, hausitque plurimum ex eorum fontibus. Attamen longe iis praetulit, quicunque rerum gravitatem elegantiâ ornatuque sermonis exhilaraverant, atque illam argute concludendi consuetudinem, quae in Stoicorum familia fere hereditaria fuerat, ad naturae relaxaverant simplicitatem. Ex his autem principes ac heroës illos, Panaetium et Posidonium, secutus maxime est, quorum alterum, sibi ab ejus discipulo commendatum, tanquam πλατωνικώτατον celebravit, alterum pari ac prope majore honore prosecutus, studiorum rectorem habuerat. Horum autem auctoritati quantum tribuere soleret, libri *de Officiis* testantur. Quo de argumento ad Marcum filium perscripturus, utriusque scripta adhibuit, quibus illi hunc locum ex-

posuerant, eaque tanquam scriptionis suae fundamenta posuit. Non quo omnia, quae iis visa erant, probaret atque amplecteretur, sed cum delectu judicioque iis usus est, ut non solum castigaret, quae minus recte conscripsissent, verum etiam, si qua graviora praetermisissent, quae ipse necessaria putaret, diligenter expleret.

Non igitur probanda eorum sententia est, qui aut parum profecisse a Platone Ciceronem, aut ab eo uno omnia percepisse atque hausisse contendant. Illud autem teneamus, non ex omnibus eum pariter scriptis Platonis eundem fructum cepisse, aut parem in omnibus posuisse industriam. Neque enim *Sophistam*, *Politicum*, *Philebum*, *Parmenidem*, dialecticos dialogos, quoties de philosophia scripsit, ut ceteros, laudavit: horum dialogorum vix ulla in ejus scriptis invenitur mentio; sed *Phaedrum*, sed *Gorgiam*, sed *Politiam* ac *Phaedonem* ut diligentissime legit, ita ad maxima tractanda argumenta, imo vero ad regundae civitatis modum praesertim unice eque adhibuit.

Ac sic quidem eo pervenimus, ut a duplici errore, qui hominum mentibus adhaesit, caveamus. Namque a Lactantio, gravissimo auctore, quique ipsius Ciceronis nomine inter Patres celebratur, Cicero *Platonis imitator*, *summus ille noster Platonis imitator* appellatur 1). Quae appellatio si vulgari sensu accipiatur, ut servilem ra-

1) Inst. I I. c. 15. III. c. 25.

tionem indicet, non modo tanto indigna ingenio videtur, sed tantum abest ut illi conveniat, ut quovis nomine potius, quam illo, celebrandus sit. Neque erit necesse, rem latius persequi. Satis est animadvertere, minime esse imitatoris solere, ejus, quem imitari studet, improbare sententiam, aut ejus non semper auctoritati parere. Cujus rei exempla, quamvis ea nonnisi aliud agentes attigimus, afferre multa licet. Aut enim, ubi sua sibi potior sententia, quam Platonis, videtur, ab eo discedit: quod in libris de Republica, quum aemularetur, non imitaretur Platonem, fecit; aut, quum Plato ea tradidisset, quae gentis suae indoli convenirent, Romanorum vero ingeniis parum congruerent, non dubitat, probare quidem Platonem, eum tamen ipse non sequi: fecit id, ubi in libris de Legibus sententiam philosophi de musica referebat. Tandem vero, non rite intellectâ perceptâque Platonis sublimitate, non cohibuit judicium suum, sed libere ea, quae sentiret, queque sibi viderentur probabilia, enuntiavit: cujus rei exemplum in Tusculanis exstat, ubi de natura amoris, quasi perversa animi affectio mentisque perturbatio sit, disserit.

Haud iccirco Cicero in philosophando servilem in modum imitatus Platonem est. Sed neque iis videtur annumerandus Platonicis, qui vel verba philosophi in scribendo usurparent, res et doctrinam negligerent, vel sibi gloriosius existimarent,

in scholae umbram inducere tanti ingenii placita, quam illa in lucem scenamque vitae atque ad civitatum emolumentum proferre. Ab horum exilitate et inficeta philosophandi ratione vindicandum est liberum Ciceronis ingenium, quod summa ductum Platonis admiratione, suum semper ita cursum tenuit, ut admiratio illa et summus amor non ad labefactandum, sed ad excitandum acuendumque judicium, conferretur.

Jam igitur, remotis iis impedimentis, quae graviter omni aevo Ciceronis nocuerunt existimationi, non erit difficile explicatu, qualis sit habenda singularis vis et efficacitas, quam Platonis philosophia in ejus ingenium animumque habuerit. Quod ut penitus sentiamus, recordemur ea necesse est, quae humanissime, sed vere, sed libere, quum Murenam ipse defenderet, coram M. Catone Stoico pronunciavit. Ejus enim et ingenium et doctrinam et cetera omnia summopere admiratus, solam morum asperitatem carpsit, simulque quo modo ad lenitatem ac mansuetudinem potuissent relaxari, laudatâ Platonis philosophiâ, explanavit 1). Cum eodem autem fingens sibi habitum sermonem in opere de Finibus, hanc palmariam sententiam reliquae interjecit disputationi: » Quid? si revivisscant Platonis illi (f. discipuli), et deinceps qui eorum auditores fuerunt, et tecum ita loquantur?

1). Cf. Disp. nostrae p. 182. sqq.

» Nos quum te, M. Cato, studiosissimum philosophiae, justissimum virum, optimum judicem, religiosissimum testem audiremus, admirati sumus, quid esset, cur nobis Stoicos anteferres, qui de rebus bonis et malis sentirent ea, quae ab hoc Polemone Zeno cognoverat: nominibus uterentur iis, quae prima specie admirationem, re explicata, risum moverent. Tu autem, si tibi illa probabantur, cur non propriis verbis illa tenebas? sin te auctoritas commovebat: nobisne omnibus, et Platoni ipsi, nescio quem illum anteponebas? praesertim quum in re publica princeps esse velles, ad eamque tuendam cum summa tua dignitate maxime a nobis ornari atque instrui posses. Nobis enim ista quaesita, a nobis descripta, notata, praecepta sunt: omniumque rerum publicarum rectiones, genera, status, mutationes, leges etiam et instituta ac mores civitatum perscripsimus. Eloquentiae vero, quae et principibus maximo ornamento est, et qua te audiimus valere plurimum, quantum tibi ex monumentis nostris addidisses [1])!" Ex hoc igitur venustissimo gravissimoque loco cum ipsius Ciceronis de Stoica ratione sententia intelligitur, tum vero, quid ipse, in philosophia Platonica institutus, ex hac potissimum perceperit, ad vitaeque usum transtulerit, praeclare patet.

Atque haec quidem de praecipuo Ciceronianae

1) De Fin. IV. 22.

philosophiae fonte sufficiant. Quo vero interius plenius que et Ciceronem cognoscamus, et vim teneamus, quam in ipsius animum philosophia Platonis habuerit, adjicere nonnihil de M. Bruto juvat. Non minus hunc Cicero, quam Quintum fratrem, Atticum atque Hortensium dilexit, sed eundem videtur prorsus, ut filium ac discipulum, complexus. Hinc fluxit illa singularis cura, qua Cicero illum prosequebatur; hinc illa sollicitudo de ipsius vitae studiorumque cursu; hinc denique summa caritas, quae cum in ipsis scriptis Ciceronis tum in eorum dedicatione conspicua est. Namque primum Bruti nomine opus suum Cicero *de claris Oratoribus* inscripsit, eidem alia deinceps multa, *Oratorem*, *de Finibus*, *Paradoxa*, *Tusculanas*, *de Natura Deorum* dedicavit. Itaque accidit, ut, quum Brutus eam disciplinae rationem, quam et ipsius natura et consilia Catonis praescripsissent, sequeretur, Ciceronis potissimum consuetudine institutus in rebus literariis ac civilibus videatur. Scilicet multo junior Cicerone Brutus fuit, et adolescentia ejus cum senectutem illius, tum deflorescentem reipublicae aetatem attigit. Quo erat lugendum magis, ista eum vigere coepisse aetate, qua non amplius summam praestare civitati operam, neque ejus salutem a gravi interitu servare liceret. Excellebat autem ita omni genere laudis, ut sic eum Cicero compellaret in eo libro, qui ejus nomine celebratus est: » Nam mihi,

Brute, in te intuenti, crebro in mentem venit vereri, ecquodnam curriculum aliquando habitura sit tua et natura admirabilis et exquisita doctrina et singularis industria. Quum enim in causis maximis versatus esses, et quum tibi aetas nostra jam cederet, fascesque summitteret, subito in civitate quum alia ceciderunt, tum etiam ipsa eloquentia obmutuit." — » In te intuens, Brute, doleo; cujus in adolescentiam, per medias laudes quasi quadrigis vehentem, transversa incurrit misera fortuna reipublicae. Hic me dolor tangit, haec me cura sollicitat, et hunc mecum, socium ejusdem et amoris et judicii. Tibi favemus, te tua frui virtute cupimus: tibi optamus eam rempublicam, in qua duorum generum amplissimorum renovare memoriam atque augere possis. Tuum enim forum, tuum erat illud curriculum: tu illuc veneras unus, qui non linguam modo acuisses exercitatione dicendi, sed et ipsam eloquentiam locupletavisses graviorum artium instrumento, et iisdem artibus decus omne virtutis cum summa eloquentiae laude junxisses. Ex te duplex nos afficit sollicitudo, quod et ipse re publica careas, et illa te. Tu tamen, etsi cursum ingenii tui, Brute, premit haec importuna clades civitatis, contine te in tuis perennibus studiis. Nec enim decet te ornatum uberrimis artibus, quas quum domo haurire non posses, arcessivisti ex urbe ea, quae domus est semper

habita doctrinae, numerari in vulgo patronorum 1)." In quibus verbis paernus plane sensus affectusque dominatur.

Quodsi efficere e discipuli studiis licet, quae ipsius fuerit Ciceronis philosophia, quidque maxime idem philosophando spectaverit, legenda nobis tota Bruti apud Plutarchum vita est, tum attendenda maxime Bruti cum Dione Syracusio, quam ille observavit, similitudo: ὁ μὲν, inquit, αὐτῷ Πλάτωνι πλησιάσας, ὁ δὲ τοῖς λόγοις ἐντραφεὶς τοῦ Πλάτωνος, ὥσπερ ἐκ μιᾶς ὥρμησαν ἀμφότεροι πάλιστρας ἐπὶ τοὺς μεγίστους ἀγῶνας 2). Pariter Cicero Platonis studium cum scriptis suis omnibus prodidit, tum rebus gerendis amplissimis comprobavit.

1) Bruto. c. 6. 97.
2) Vitâ Dionis c. 1.

THESES.

I.

Nec Platonicus fuit Cicero, nec Platonis in scribendo imitator, sed in studiis suis omnibus, quod ipsius scripta probant, ἀκαδημαϊκός.

II.

Ingenium plane Ciceronis expressum habemus in Epistola ad Q. Fratrem l. III. Ep. 6., ubi conquestus rempublicam, illud, ait, quod a puero ἀδάμαστον,

Αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων,

totum occidit.

III.

Philosophiae Platonicae vis singularis ut in Dione, Cicerone ac Bruto conspicitur, ita, animadvertente Ruhnkenio in Disp. de vita et scriptis Longini (Opusc. I. 516.), *in Dionysio Cassio Longino eluceat praeclare.*

IV.

Vere Muretus Opp. Vol. II. *p.* 297. *M. Cicero, etsi de laudibus suis non invitus praedicabat, potiusque in eam sententiam peccabat, ut in iis immodicus atque immoderatus esset: semper tamen diligenter cavit, ne sibi* ingenii *laudem arrogaret: potiusque videri voluit labore et diligentia, quam* ingenii *praestantia aliquam dicendi facul-*

tatem consecutus. Intelligebat enim, nihil esse invidiosius, quam de ingenio suo gloriari, cum quavis laude facilius homines aliis, quam laude ingenii cedant.

V.

Ciceronis excellens animi virtus praesertim in eo conspicua est, quod in immoderata de se praedicandi consuetudine, Hortensium, famae gloriaeque aemulum, maximis laudibus celebravit.

VI.

Ciceronis de administranda republica diversae fuere pro mutata reipublicae Romanae conditione sententiae. Quod quemadmodum accipiendum sit, ipse nobis auctor Cicero est Epist. ad Fam. I. 9. „*Nunquam praestantibus in republica viris laudata est in una sententia perpetua permansio: sed ut in navigando tempestati obsequi artis est, etiamsi portum tenere non queas: cum vero id potes mutata velificatione assequi, stultum est eum tenere cum periculo cursum, quem ceperis, potius quam, eo mutato, quo velis, tandem pervenire: sic, cum omnibus in republica propositum esse debeat cum dignitate otium, non idem semper dicere, sed idem semper spectare.*"

VII.

Praeclare Schlosser Univers. hist. Uebers. d. Gesch. d. alt. Welt. Vol. III. P. I. p. 200. *Horaz hat nicht blos die alten von echter Begeisterung erfüllten Griechen vor Augen, sondern er leistet auch für die Griechische höhere Poesie dasselbe, was Cicero für die Beredsamkeit und Philosophie geleistet hatte, und fast auf dieselbe Weise. Cicero trug den Römern zunächst nur das vor, was einem ganz auf das*

Praktische gerichteten Volk angemessen war, er kleidete es in dasjenige Gewand, welches den auf Rhetorik gerichteten Römischen Grazien das angenehmste war, und ward auf diese Weise mit fremdem Material Schöpfer einer neuen Bildung.

VIII.

Cato Uticensis etsi, lecto Platonis Phaedone, mortem sibi consciscens, sapere sibi videretur, tamen, quia prohibuit, quominus cum ipso ceteri se interficerent, firmâ stetisse sententiâ minime dicendus est.

IX.

Vere Plutarchus de Epaminondae et Pelopidae virtute, in vita Pelopidae *c. 4. Si quis Aristidis et Themistoclis, Cimonis et Periclis, Niciae et Alcibiadis in republica rationes consideraverit, quantarum plenae fuerint dissensionum, aemulationum, simultatum; respexerit autem simul mutuam Pelopidae et Epaminondae benevolentiam et observantiam, hos sane verius rectiusque appellabit rerum domi forisque gestarum socios, quam illos, qui semper id curarunt, ut se invicem, non, ut hostes superarent:* αἰτία δ' ἀληθινὴ μὲν ἦν ἡ ἀρετὴ, δι' ἣν οὐ δόξαν, οὐ πλοῦτον ἀπὸ τῶν πράξεων μετιόντες, οἷς ὁ ζηλεπὸς καὶ δύσερις ἐμφύεται Φθόνος, ἀλλ' ἔρωτα θεῖον ἀπ' ἀρχῆς ἐρασθέντες ἀμφότεροι τοῦ τὴν πατρίδα λαμπροτάτην καὶ μεγίστην ἐφ' ἑαυτῶν ἰδεῖν γενομένην, ὥσπερ ἰδίοις ἐπὶ τοῦτο τοῖς αὑτῶν ἐχρῶντο κατορθώμασιν.

X.

Libertatis studia, quae foederis Achaici tempore in Graecis viguerunt, opportunitatem dede-

runt ad commutationem, quam eodem tempore subiit Graecorum philosophia.

XI.

Recte *Augustinus Contra Acad. l.* III. *c.* 19. *Satis est mihi arbitrari, non posse ab homine inveniri veritatem. Quisquis autem putat, hoc sensisse Academicos, ipsum Ciceronem audiat. Ait enim*, illis morem fuisse occultandi sententiam suam, nec eam cuiquam, nisi qui secum ad senectutem usque vixissent, aperire consuevisse. *Quae sit autem ista, Deus viderit, eam tamen arbitror Platonis fuisse.*

XII.

Levi transpositione verborum occurri posse videtur loco Ciceronis de Rep. I. 31. *ubi sic legitur:* » *Qui autem aequa potest esse libertas in istis civitatibus, in quibus verbo sunt liberi omnes: ferunt enim suffragia, mandant imperia, magistratus, ambiuntur, rogantur; sed ea dant magis, quae, etiamsi nolint, danda sint; et quae ipsi non habent, unde alii (ali) petunt.*" *Simpliciter igitur* unde alii *in* aliunde *mutandum est. Caeterum, quum praecesserit:* verbo sunt liberi omnes, *facile patiamur, ut sequatur:* sed re dant.

XIII.

In ejusdem operis l. I. *c.* 40, *facilius procedet sententia si pro vulgatâ:* » *sic noster populus in pace et domi imperat et ipsis magistratibus, minatur, recusat, appellat, provocat.*" — *legatur:* imperitat ipsis magistratibus, minatur —.

XIV.

Reprobanda videtur lectio l. II. *de Rep. c.* 1. » *exsanguem jam et jacentem rempublicam sustentasset Demetrius?*" *Namque, ut sustentamus labentem, ita jacentem aut erigimus, aut excitamus. Quare legendum fortasse:* exsanguem jam et macentem sustentasset Demetrius.

XV.

In Somnio Scipionis c. 16., *adversante loci sententiâ, legitur:* » *Quocirca si reditum in hunc locum desperaveris.*" *Recte vitium animadvertit Moserus, conjecit autem legendum* tute speraveris. *Fortasse, quoniam desiderii notio haud aliena esse videtur a hujus loci ratione, legendum est:* si reditum in hunc locum desideraveris."

XVI.

Proximi capitis initium difficultate premitur, quam tollere studuerunt Interpretes. Legi enim solet: » *si quidem bene meritis de patria quasi limes ad coeli aditum patet.*" — *Recte Lambinus correxit:* limen. *Sed* limen ad coeli aditum *cum displicuit multis, tum vix Latinum est. Pro quo verius quis conjiciat:* limen ad coeli adytum patet; *ut c.* 15. *dixit:* » *cum Romuli animus haec ipsa in* templa (*coeli*) *penetraret.*"

XVII.

In Politia Platonis l. VI. *p.* 498. *haec verba habentur:* Ἐν δὲ τῷ ἔπειτα, ἐὰν καὶ ἄλλων τοῦτο πραττόντων παρακαλούμενοι ἐθέλωσιν ἀκροαταὶ γίγνεσθαι, μεγάλα ἡγοῦνται, πάρεργον οἰόμενοι αὐτὸ δεῖν πράττειν. *Dubito an Graecum, nedum Plato-*

nicum sit: μεγάλα ἡδύνται: *fortasse corrupta vox est ex usitato:* μεγαλαυχοῦνται.

XVIII.

Eodem opere l. VIII. *p.* 547. E. *vitiosa videtur lectio:* Ἐπὶ δὲ τοὺς θυμοειδεῖς τε καὶ ἁπλοϊστέρους ἀποκλίνειν τοὺς πρὸς πόλεμον μᾶλλον πεφυκότας — *Illud enim* θυμοειδεῖς *non recte congruit cum* ἁπλότητι. *Quare melius legatur* ἁπλοστοτέρους *pro* ἁπλουστέρους.

XIX.

Praeclarus locus eodem p. 550. a.: ἢ οὐχ οὕτω πλούτου ἀρετὴ διέστηκεν, ὥσπερ ἐν πλάστιγγι ζυγοῦ κειμένου, ἑκατέρου ἀεὶ τοὐναντίον ῥέποντε; *vitio non caret. Levi fortasse medicinâ restituendus est, ut legatur* ὥσπερ ἐν πλάστιγγι κειμένου ἑκατέρου, ζυγοῦ ἀεὶ ἐπὶ τοὐναντίον ῥέποντος;

XX.

Locus eodem l. IX. *p.* 581. E. Τὸν δὲ φιλόσοφον ἦν δ' ἐγὼ, ποιώμεθα τὰς ἄλλας ἡδονὰς νομίζειν πρὸς τὴν τοῦ εἰδέναι τἀληθὲς ὅπῃ ἔχει καὶ ἐν τῷ τοιούτῳ τινὶ ἀεὶ εἶναι μανθάνοντα, τῆς ἡδονῆς οὐ πάνυ πόῤῥω καὶ καλεῖν τῷ ὄντι ἀναγκαίας — *sic constitutus, ut a Bekkero est, habet difficillimam interpretationem. Expeditior erit, ni fallor, si eum ita constituamus:* Τὸν δὲ φιλόσοφιν, ἦν δ' ἐγὼ, τί οἰώμεθα τὰς ἄλλας ἡδονὰς νομίζειν πρὸς τὴν τοῦ εἰδέναι τἀληθὲς ὅπῃ ἔχει, καὶ ἐν τῷ τοιούτῳ ἀεὶ εἶναι μανθάνοντα; οὐ τῆς ἡδονῆς πάνυ πόῤῥω, καὶ καλεῖν τῷ ὄντι ἀναγκαίας; — *Philosophum autem quomodo putemus ceteras voluptates esse aestimaturum, ejus habitâ voluptatis ratione, quae in cognoscenda veritate et ejus disciplina versatur? nonne a voluptate procul esse dissitas, et vocabit revera necessarias?*

XXI.

Vitiosa item videtur loci lectio Politiae l. X. p. 600 E. Οὐχὶ μᾶλλον ἂν αὐτῶν ἀντείχοντο ἢ τοῦ χρυσοῦ καὶ ἠνάγκαζον παρὰ σφίσιν οἴκοι εἶναι, ἢ εἰ μὴ ἔπειθον, αὐτοὶ ἂν ἐπαιδαγώγουν ὅπη ἥεσαν. *Vertunt Interpretes* παιδαγωγεῖν paedagogi more prosequi. *Quod a sententia, ut se habet, alienum esse, luce clarius est. Non enim Homeri Hesiodique aequales paedagogorum more illos prosecuti fuissent, sed discipulorum instar. Quare simplici verborum transpositione rectior sententia erit:* αὐτοὶ ἂν, ὅπου ἐπαιδαγώγουν, ἥεσαν — ipsi aequales Homerum Hesiodumque, ubicunque docerent, secuti essent. Ὅπου *Cod. auctoritate confirmatur.*